

CASTRA HÆC FIRMANTIA SCEPTRA

HONI SOIT QUI MAL Y PENSE

SIC OMNIA VNVM

MANET VLTIMA CÆLO — ET SOLO ET POLO

NVNQVAM MARCESCO — CORDA REVINCIT AMOR — MEDICABILE SEMPER

ROSA HISPANI-ANGLICA
SEV
MALVM PVNICVM ANGL'HISPANICVM.

DOMINI BENEDICTIO DITAT



mich: du Val

OCCIDENTIS FLORI

HISPANIARVM


DELICIIS

ELEGANTIARVM OMNIVM GENIO.

SOPHIÆ OCELLO

AVREÆ SVADÆ HERMETI

TOGÆ GLORIÆ.



AVLÆ PHÆBO

SENATVS NESTORI

CRISTICOLÆ NVMÆ.

SÆCVLI SVI ORNAMENTO MAXIMO.



DIDACO SARMIENTO DE AVCVNA

COMITI DE GONDOMAR

Perilluſtriſſimo Menroyo & Pennaroyo Præfecto

Illuſtriſſimi ordinis de Calatraba

Sanctioris Conſilij Senatori

Regij ærarij quæſtori

Catholicæ Majeſtatis in Anglia apud auguſtam Iacobi Maje-ſtatem Oratori

Oppidi & Caſtri Baionenſis Regenti

Epiſcopatus de Tuid in Gallicia Præſidi

Nobiliſſimi ordinis de Alcantara quæſtori primo

Vni è quatuor ſacrorum Priuilegiorum iudicibus

Regnorum Toleti Regionis Galliciæ & Principatus Aſturien-ſis Protonotario

E T

AVGVSTI PHILIPPI QVARTI HISPANIARVM ET INDIARVM REGIS OECONOMO SVPREMO.



Væ ridentes veneres *odoratis* violis, *ſuauiantibus* lilijs *ſpirantes gratiæ*, *floridis* Hyacinthis *purpureus decor*, *diuiteſque dotes, reliquis blandientibus floſculis, hæ omnes ſuaues diuitiæ & amænitatum delitiæ, purpûrantis* Roſæ *oſtro gra-*

tius insident: Quæ stellulis influentiæ fulgido soli, *arboribus elegantia* elatæ cedro, *auibus decor, orientis aliti* Phœnici, *monilibus pretium & æstimatio micanti* auro, *& quæ cæteris lautis & delitiantibus fructibus, gratiæ, vires, dotes insitæ & innatæ singulæ, eæ pulchellulo & lectissimo* malo Punico *amœnius insunt vniuersæ; & quæ hominum generi, dotes, decora, ornamenta, alia alijs sparsa & partita singula, ea* (excellentissime Didace) *non scintillātes veluti radioli, sed vt plenissimi fulgurantes* soles *corusco lumine clarius in te effulgent* omnia: Ridens *&* Rubens Rosa *purpuranti allicit amœnitate, odoratissima perfundit fragrantia, delicianti attrahit venustate*: Regium-malum-punicum *augusta emicat corona, speciosissimo arridet decore, multiplici oblectat varietate, gratissimo reficit sapore, & admirāda* medendi dote & virtute *pollet: Non tot* malum-punicum *elegantibus refertum* granulis, *quot* Nobilissimis *fœcundum* virtutibus *excelsum* magni Didaci *pectus, non tot purpurascenti* Rosæ *gratiæ & elegantiæ, quot diuini genij, & ingenij tui* admirandæ *dotes: Amœnissimi & lætissimi floris sapidissimi et saluberrimi fructus, huius, & illius,*

gratias veneres & dotes fœlicissime possides omnes: allicis & attrahis, places & oblectas, sanas & reficis: *hocce igitur* malum-punicum Angli-Hispanicum *tibi Animo & Affectu iamdiu* Anglo-Hispano, *hanc* deliciantem Rosam Hispani-Anglicam *tibi viro* Principi Hispani-Anglo, sacram, votiuam, auspicatam, voueo, *offero, consecro & ad alti* Nominis & Numinis *tui* Aram *supplex appendo.*

DIVINI TVI GENII
æternum deuotus,

MICHAEL DV VAL.



PRO AVGVSTO CONNVBIO DIVORVM PRINCIPVM; CAROLI PRINCIPIS ANGLIÆ, ET MARIÆ AVSTRIACÆ HISPANIARVM INFANTIS:

FAVSTA ORBIS VOTA:

IVngitur IGNIFERO Quoties Noua CYNTHIA Fratri,
Fertilior TELLVS, Vberiùſque MARE Eſt.
Tuque BEATA, Nouo FLORESCAS ANGLIA, FOETV,
Nam Noua SOLI ANGLO, CYNTHIA Iuncta Venit.

ANGLIA in HESPERIDVM Locus Eſt Pulcherrimus, HORTO:
ANGELVS Huic Seruat, LILIA, MALA, ROSAS.

Ampliùs Haùd TOTO Diuiſa Eſt ANGLIA MVNDO;
HERCVLEO Fauſtò Iam Religata FRETO eſt.

Cælesti PHÆBVM & PHÆBEN Qui Tollit ab AETHRA.
Nil Mirum in COELO, Quod Tueatur habet:
IRRADIAT PHÆBE AVSTRIACA, & SOL CAROL' ANGLIS.
FVLGIDVS Ergo VNA eſt ANGLIA Sola POLVS.

QVID PALMAS CHRIST'? Quid SVRAM NOBILE VINCLVM?
Et QVID CÆLESTIS CORDA REVINCIT AMOR?
PALMA, Fides REGVM Eſt, COR, CHRISTVS, SVRAQ; Plebs Eſt;
TOT SOLVI Nequeunt VINCVLA, VINCTA Modis.

D. D. F. I.

Et

PVNICA MALA ROSIS Concordi FOEDERE Iungunt,
EN SVPERI, Quid Non FÆDERA Tanta Dabunt:
GRATVS inest illis SAPOR, ac ODOR Optimus, HISCE.
Sic ROSA MALA BEAT, Mutuò MALA ROSAS:
PVRPVREVS COLOR Est Vnus, MALISQVE ROSISQVE,
Sic Vtriusque VNVS, CORDE TRIVMPHAT AMOR.
I.B. D. Nobilis Flor.

NOXIA LVCTIFICIS Dum Frendent VVLTIBVS ASTRA.
Miscentur TRAGICIS INFERIORA MALIS.
BLANDA Vbi FRVGIPAROS Attollunt SYDERA VVLTVS.
QVADRIFIDVS Quas Non Parturit ORBIS OPES?
CAROLVS ANGLIGENIS, Et IBERIS, orta MARIA,
FÆLICI IN FLVXV, Splendida REGNA BEANT;
Demissi E SVPERIS OPTATA LEVAMINA TERRIS,
DELICIÆQVE Hominum DELICIÆQVE DEVM.
VIVITE FLORENTES, FÆLICIA Ducite FATA.
ÆTERNOSQVE ÆQVENT STAMINA VESTRA DIES:
O NEXVS FÆLIX, Vbi TERRA Fit ÆMVLA CÆLO.
AVSPICIISQVE ADSINT omnia FAVSTA BONIS.
Cl. D. D. T.

EN Noua se RVTILI Tollit Coma PVNICA FLORIS,
Luxuriatque Opibus FLORA DECORA Nouis.
PVRPVREO Passim TELLVS SPLENDORE Coruscat,
Et DECOR Et SPECIES FLORIBVS omnis Adest.
SPIRAT Odoratus ZEPHYRIS RIDENTIBVS Aër,
Mulcet Et ELYSIAS Aura BEATA ROSAS:
O Nimium FÆLIX GEMINORVM GRATIA FLORVM?
CÆLESTES TERRIS Quæ Modò Fundit OPES.
G. Fiammeta Nobilis mediolanensis.

QVÆ Noua se Pandunt GEMINÆ PRIMORDIA LVCIS.
Obliquat THAMESIS Quà Sinuosus AQVAS?
AVDIO, MAGNANIMIS ORIENS SOL VNICVS ANGLIS
CAROLE, Dispergis FLAMMEVS ORE DIEM:
AVDIO, CÆSAREIS ORIVNDA MARIA MONARCHIS,
(Quà Per FRVGIFEROS Currit IBERVS AGROS)
Exerit AVRATOS Tanquàm Noua CYNTHIA VVLTVS,
Et sua LVMINIBVS IVNGIT Amica TVIS.
Omnes Mirantur RADIOS in SOLE RECENTI
Quales Non Medio PHÆBVS in AXE Daret?
Miranturque NOVÆ Cælesti in FRONTE DIANÆ.
LVMINA, Queis Cedat LVNA Coacta FACES:
TANTAM Diffundent Si VESTRA EXORDIA LVCEM,
Vt Sileat TITAN, Et Semiforme IVBAR?
Quantum MAIOR Erit, TIBI Quandò Accesserit ÆTAS.
Fortior, HÆC PLENO Proferet ORBE DIEM.
M. D. V. N. G.

DECIMAS A LA VOZ Y FAMA DEL AVGVSTO CASAMIENTO DEL PRINCIPE CARLO DE YNGLATERRA CON LA INFANTE MARIA DE ESPANNA.

LYSSES Y Purpurea ROSA.
HARPA, Furiosos LEONES.
HEROYCOS NOBLES BLASONES.
De YNGLATERRA Dichosa
Oy la haçen MAS FAMOSA.
(Y Ella lo Confiessa Vfana)

Por que ſu ROSA Loçana.
Cobra MAS Suaue OLOR.
MAS encendido Color
Con la ROSA CASTELLANA.

Deſpide Accentos ſuaues.
El HARPA Dulce Inſtrumento.
Y En MEDIO De Su ELEMENTO.
Suſpende el Buelo A Las AVES
MAS Si la cauſa no SABES
De Tan DVLCE ſon BRITANIA,
Preguntalo A La GERMANIA?
La Qual Te RESPONDE, ya:
Que Porque en LA HARPA eſta.
VNA Cuerda De ALEMANIA.

MIRO Las ANGLICAS LYSSES.
Que IVNTAS Con la ESPANOLA
Campean Con ella SOLA.
En Los Remotos Payſſes
Muy Iuſto Sera Que AVISES
FAMA, A El MVNDO de eſtos bienes,
Comiença, en que Te Detienes,
Pero Tan bien MIRA agora.
Que no las hurte el AVRORA
Para CORONAR Sus Syenes

ROSA



ROSA
HISPANI-ANGLICA
SEV
MALVM-PVNICVM
Angli-Hispanicum.

QVod Romanorum olim Legati Ptolomeo Ægiptiorum Regi de Romanæ vrbis fælicitate percontanti grauiter responderunt: Romæ scilicet *Adorari Deos Magistratus coli, bonos Præmijs affici, malos supplicijs coerceri*: Idem mihi de *Inclytissimo Sceptri Anglici Imperio*, sciscitanti, percommodissimè responderi posse videtur: Florere illic *optimum maximum Augustum* Regem, *Principem Serenissimum*: sapientissimum senatum, nobilitatem splendidam, opulentam plebem, musis stare suum *Decus, legibus* dignitatem, *Magistratibus* authoritatem, *omnibus* denique: *Pa-*

cem, ſalutem, & incolumitatem.

Glorioſa libani Cedre, in editiſſimo HONORIS culmine collocata, Arbor ter Auguſta & ſacra creſce, vireſce, aſſurge, fronde, flore, Germine, ſub cuius delitianti & amænâ vmbrâ, & volucres cæli, & animantia terræ, placidiſſimam requiem inueniunt.

O regum Salomon Principum Delitiæ: vos populo veſtro beatiſſima hęc otia, vos orbi lætiſſima hæc tempora, illuceſcere dediſtis, ſereniſque pacis radijs omnia inauraſtis.

Sub fæliciſſimis imperij veſtri auſpicijs, *Pacifici Jani* ſacræ ædes perpetuò clauſæ, *vt Regia veſtra, Pacis Templum.* *Regnum veſtrum Oliuæ ſacrarium*, iure merito dicatur, Quam faciles ſuperi, quarum fauentia uobis numina aſpirant? cum *Auſpicatiſſimum: velut è cælo lumen* perditis his temporibus labanti mundo lętè affulſiſtis, & lucidiſſimis, prudentiæ conſilij, authoritatis & bonitatis veſtrę radijs, nefauſtos omnes ſyderum aſpectus & *influxus*, omnem malignantis *fati vim, & acerbitatem*, quæ exitialem *Europæ* interitum minitabantur fæliciter diſpuliſtis: vt non populus tantum veſter geſtienti lętitia & efferenti gaudio effuſus, ſed principatus, dominia, regna, imò omnis circumfuſa *Europa*, vobis *Maximi*, vobis *Auguſti*, vobis *Pacifici*, beatiſſima elogia inſcribat, &

diuinarum virtutum vestrarum famam, àlongè adorantes, *Patrē Patriæ*, *Regem Pacis*, humani generis *conseruatorem*, festis vocibus consalutant:

Extiterunt olim principes qui furibundo Marte omnia turbarint, sua vt dilatarent imperia, *at* Rex *hic* viridãtis *oliuæ* Ramum, è cęlo profert, vt homines cũ dignitate in pace viuant:

Alij pacem colunt, vt bella suscipiant, *hic* posuit fines suos *Pacem*:

Alij ad finitimos debellandos *regios fasces fastu* gestant *hic* sine finitimorum amore & beneuolentia regna firma & munita fore non autumat:

Alij dum bella mouent noua ambientes imperia, nouis inhiantes, *Sceptris* suis sępissime domi excidunt *at Princeps* hic summa prudentia, prouidentia, & *Pacis* consilijs, vltra oceani limites, & *solis orbitam*, imperij sui fines fęliciter propagat:

Apositè Plato. *Beatas* tũ fore respublicas & regna cum *sapientes* regnant reges: *in Phedrone.*

Omnium enim artifex sapientia. *Sap. 6.*

Quare principes authores pacis, *soli sapientes*, soli homines, soli humani generis *conseruatores*, censendi sunt.

Quid enim adeò pugnat cum *sapiente* ac bellum? discordia? dissidium? quid ab humanitate magis alienum? quam hominem destruere? quid patri pa-

triæ & ſalutis publicæ *conſeruatori* magis proprium, quam ſeruare?

R*egna* itaque pace ſtabilire, pace populos regere, pace finitimos continere, bella procul arcere, hæc *Augusti* R*egis*, hæc veri & fortunati principis, R*egia* ſunt munera & officia:

Et licet ſatis omnibus innoteſcat, R*egem* hunc non minus belli ſtudijs, quam pacis artibus, inſtructũ, & *Martis* ſacris, peræquè ac *Mineruæ* litaſſe, boni tamen omnes, pium potiùs illum *exoptant Numam*, quam belligerantem R*omulum*, & Auguſtum *Salomonem*, candida pacis ſtola indutum, quàm triumphantem *Dauidem*: ſanguine purpuratum:

Fælices quibus diuinò munere talis contigit *Princeps*, quo nihil noſtra aut ſuperior ætas, *maius aut Auguſtius* ſuſpexit:

Ea ad *miraculum* ſapientia vt innumeris dignus ſit Sceptris.

Ea facundo & fæcundo pectore, vt *Muſas* ipſas doceat:

Ea præſtanti comitate, vt cum tito C*æſare* neminem a ſe triſtem dimittat:

Ea R*egia* animi amplitudine vt optimus quiſque gratus illi eſſe cupiat:

Ea munifica largitate vt beneficentiæ ſuæ manum omnibus apèriat.

Ea

Ea ſplendida magnificentia, vt id in cenſu ſuo ponat quod alijs erroget.

Ea ſingulari integritate vt rectè factorum præmium quiſquis ab illo & ſperet vt ferat.

Ea ſumma æquitate, vt nullus ab illo rem iniuſtam petat, iuſtam nemini deneget.

Ea iuſtitia vt elogium illud *Romani conſulis* meritò illi aſcribatur, difficiliùs ſe a *Recto* quam *ſolem* a conſueto curſu auerti poſſe:

Ea inuicta potentia vt nemo audeat, ea inſigni *bonitate*, vt nemo velit ſe hoſtem profiteri:

His excultus virtutibus, ornatus laudibus, innumeriſque in *Rem-Publicam* perilluſtribus *Clarus* meritis, dignus omnino eſt cui & homines gratulentur & *ſuperi* largiantur maximam hanc (ſi in humanis vlla eſſe poſſet) fælicitatem.

Et quia longè *Maius & Auguſtius* ſemper eſt habitum ſcire vti imperio, quàm imperium nanciſci, ideo optimus hic *Princeps* diuina hęc Dei dona, & bona, non commodis & incrementis ſuis *proprijs* applicat, ſed ad *decus*, ad *gloriam*, ad Reipublicæ vtilitatem & dignitatem, conſtanti affectu & voluntate omnia refert.

Itaque non domi tantummodo & apud ſuos *Almam Pacem*, auream *cæli* prolem, *mundi* delitium, fouet, ornat, tuetur, ſed lectiſſimos & ſuauiſſimos

eius fructus in patentem vndique *Orbem* magno affectu & solicitudine diffundere studet.

Nouit enim *sacra serenissima Maiestas* non sibi se suisque solũmodo sed vniuesis sed singulis opitulandis natam, *diffusum* circumquaque *orbem* suam esse *Patriam*.

Ciuem se esse mundi, ideoque illi tanquam præcellentissimo illius *membro* incumbere, pro totius incolumitate & salute excubare.

Seneca Cons. ad Polyb. Sapienter & eleganter seneca:

Omnium somnos Principis vigilia, omnium ocium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium, vacationem illius ocupatio deffendit.

Piorum Principum animis & affectibus, altè hæc insident, pluris vnam esse animulam quam mille mundos:

Bella Dei esse flagella:

Ancipites eorum exitus:

Nunquàm suscipienda dum prudenter præcauenda.

Innocentum sanguinem clamare vindictam.

Matth. 12. De omnibus acuratissimam reddendam rationem.

Eccles. 12. Sap. 6. Vers. 4. Durissimum fore iudicium his qui pręsunt.

Sap. 6. Vers. 6. Cum igitur nulla alia sit maximorum *principum* Regumque fælicitas, quam vt alios *fælices* faciant, eaque in terris præcipua censeatur fęlicitas, quę ad

cęleſtem quam proximè accedat, quę placidiſſima tantum *Pace* nitatur, beatiſſimos fore oportet *Principes illos*, quorum omnes huc incumbunt conatus, vt *rem* adeò *diuinam*, Deo hominibusque gratam, longè taliquе pro viribus promoueant:

Habet hoc *regnum* cum *naui* affine vt ſicut *hæc* mari deſtinatur, varios ſubitura caſus, & diſcrimina, nunc obruenda *fluctibus*, nunc allidenda *ſcopulis*, nunc *naufragio* abſorbenda, ſemper vero *præcipitijs & periculis* expoſita, ſic *Regnum* ex hominibus, varijs animi ægritudinibus, varijs genijs, & ingenijs affectis coaleſcit; hi ęſtuantibus flagrant odijs, *alij* inteſtinis ſeditionibus laborant, *iſti* factionibus deſtrahuntur, *illi* diffidijs in tranſuerſum ducuntur, hos præcipites agit furor, *alij* tumultibus omnia peſſum dant.

Sed vt *peritiſſimi illi* cenſentur *nauarchæ*, qui non tantùm *mari* placido, ſereno *cælo*, fauenti *aura*, nauim ſcitè dirigunt, ſed qui præterea contra ingruētes tempeſtates, turbines, & procellas, reliquamque cęli *inclementiam*, apparatu omni nautico & ſuppellectile, ſtrenuè muniunt, & obuallunt: ſic prudentiſſimi illi habentur *Principes*, qui non tantum imperia ſua in pace fundant, ſed qui eadem inſuper, contra omnem vim *fati & Martis* impetus, prudentibus *inſtitutis* & pacificis *Conſilijs* in futurum muniunt & conſeruant.

Atqui vt præpotentem omnium moderatorem *Deum* non in magis in ſtupenda mundi fabrica, quàm in ſolerti eiuſdem regimine, ſuſpicimus & veneramur: ſic *Reges & Principes*, non impenſius admiramur, in regnis acquirendis & condendis, quam in iiſdem prudenter adminiſtrandis, & *Pace* muniendis:

Li. 19. de ciuit. Dei cap. 10. Qua vt pręclarè Affricę decus *Diuus Auguſtus*, nihil auditur lætius, appetitur vtilius, aut fælicius poſſidetur.

Celebre eſt *Medicorum* Placitum, quod in grauibus & ſęuientibus *morbis* curandis, *quies* antè omnia conducat ægroto, ſic ad ſananda reipublicæ Chriſtianæ vulnera, iam diu in viſcera & penetralia læthaliter nimis graſſantia, vnica *Pax*, remedium aſtruitur, & medecina: in qua *vnica* vita, ſalus, dignitas, ſecuritas, fælicitas, *muſæ*, *laureæ*, literæ, res forenſes, vrbanæ, diuina, humana, omnia continentur:

Cum igitur *Animi* Regij & diuini, illuſtre & luculentum ſit *ſpecimen. fælicitatem* latè in omnes propagare, ſummumque illud *Numen*, quod pietatis ſuę ſinum, omnibus aperit, bene merendo imitari:

Ideo *Maximus & Auguſtus* Rex ad immortalitatem natus, & ad *orbem* fęlicitate *Pacis* beandum è cęlo veluti demiſſus, ſalutare illud Diui Auguſtini monitum, animo ſanctè recolens, *Ad Chriſtianos Reges ſeculi omnimodò pertinere, vt temporibus ſuis Pacatam.*

tam esse velint matrem suam Ecclesiam : ac luxata & conuulsa reipublicæ Christianæ membra, miseram illius faciem, vulneribus fædatam; sanguine madidam, dissidijs laceram, & suis pænè cardinibus emotam, conspicans, tantamque calamitatem & infælicitatem piè commiserans; omnes init rationes, munificos profundit sumptus, consilia dirigit, vt restinctis passim bellorum incendijs, *de Marte & Belona*; seruata, restaurata, & postliminio quasi in integrum restituta, *Victrix* vbique *Pax* triumphet:

Quæ vt omnis societatis humanæ nexus est, & vinculum arctissimum, ita *Pacis* sanctissimum vinculum & cimentum firmissimum, *Regiæ & Augustæ Affinitates*; semper sunt habitæ : quæ innumera secum præsidia, commoda, & ornamenta, afferre solent:

Et licet *Serenissimæ & splendissimæ plurimæ* aliæ numerentur nuptiæ *Sceptro Anglico pro[illegible]sitæ*, tamen ad rei Christianæ decus instaurandum, & *Pacis* prosperitatem, per omnes *Europę* fines longè lateque deriuandam, *Diuinissimum medium*, *& Angularem velut lapidem*, omnia in *vnum* fælicissimè compingentem, *Augustam Coronę Hispanicæ Affinitatem*, *censeri*:

Vt hac ratione, *Sceptra Hispanica*, *Gallica*, *Anglica*, *Potentissima & florentissima totius Europę* Regna, *ceu triplex Salomonis funiculus*, *Herculeano velut Nodo*, *& Nexu*, indissolubiliter coniungantur:

Super fixis his Polis, orbis sphæra conquiescet, ab inuicta & *Augusta hac triade*, perbeatissima in terris, vnitas coalescet:

Beata & Gloriosa Hispaniarum Sceptra: *Monarchiam* fæliciſſimam & florentiſſimam: *maximorum* R*egum vestrorum inclyta*, & inuicta, apud homines *Pietas*, effecit & *Potentia*, sed *diuturnam et Aeuiternam*, *Numinum* effusus fauor & munificentia:

Augusta & victricia Symbola vestra, Leones & Castella, gentilitia virtutis vestræ & famæ, sempiterna *trophea*, in vtroque orbe fæliciter triumphantia, contra omnem ineluctabilem vim *fati* & malignantis fortunæ impetum, inuictum Robur & fortitudinem præseferunt.

Et suauiantia illa & albicantia *Sceptri Gallici*, *lilia*, *Aurei illi cęli flores*: an non sub amęnanti illorum vmbra, fragranti aura, valido propugnaculo, vberi amicitię fructu, plus dignitatis, ornamenti & pręsidij, inest, quàm in reliquis forte totius *Europæ* clariſſimis & splendiſſimis neceſſitudinibus? adeò vt *Regiæ, Gloriosi vtriusque Sceptri Hispanici, & Gallici Affinitates, et fortunæ* magnitudine, *et Potentię* amplitudine, *et Glorię* celebritate, & *sanguinis* claritate, longo reliquas omnes interuallo *superant*.

Ad Sceptri vero Hispanici Regiæ neceſſitudinis *Augustum complexum*: quot *Gloriæ*, *Amplitudinis*, *Ho-*

noris, & dignitatis, nobilissima ornamentā, *vocant* & *inuitant*?

Quid enim vel à *Natura*, vel à *virtute*, vel à *fortuna*, expectari, aut excogitari posset? quod *maximus hic Rex* cumulatissimè non sit consecutus? quo *maior aut Augustior nullus in orbe* dominatur? non *Maiestate* aut *fælicitate*, non *Origine* aut *sanguine*, non *Amicitijs*, aut *Clientelis*, non *Regnis* & *Imperijs*, non *Potentia aut opibus*, non *Armis* & *viris*; non *optimis legibus* & *institutis*, non *corporis dotibus*, aut *Animi virtutibus*, cuius *inclytissimi maiores* rebus gloriosissimè gestis, innumerisque clarissimis & splendissimis victorijs, de *saracena colluuie* acerrimis Christi nominis inimicis partis, *diuinissimisque* suis in rem Christianam *meritis*, *sacrosancto & Augusto Catholicon Titulo*; fæliciter inaugurari meruerunt: in quorum *Augustis Sceptris* & *Amplitudo* Regum hominibus dominantium, & *Numinum sanctitas*, Regibus *ipsis* imperantium, *Gloriosè* semper refulsit:

Ex Aurea hac vna radice: quot nobilissimi *Agnationum* & *necessitudinum inclyti* Rami pullulant? quam multiplici nexu *stemmata* procurrunt? *Quæ* enim Regio *in terris*? quæ *Natio*? quæ *Prouincia*? quæ in *Europa* amplior aut *Augustior* familia? quæ *Augustum hoc Sceptrum*, aut *cognatione*, aut *sanguinis* coniunctione, non attingat?

Ordiar nè? ab *Augustissimæ Austriacæ familiæ Gloria, & Amplitudine*? quâ *Regum aut Imperatorum* nulla vnquam extitit fæcundior? ab *Imperiali bicipiti Aquila* in *orientem & occidentem* spectante? *innumerosque Reges, et Principes*, a *Meridiano* ad *Oceanum* vsque dominantes, *Affinitatis* & *sanguinis Nexu* complectente? quæ *sublimi suo volatu*; adeò in altum se extulit, vt duodecim *Potentissimos Imperatores Augusto hoc stemmate* progenitos numeret:

Redulp. 1. Albert. 1. Fridericus Fulcher. Alber. 2. Frider. 3. Maximilian. 1. Carolus Quintus. Ferdinãdus Maximilian. 2. Redulph. 2. Matth. Ferdinãdus

En plumas explicat, *Augustas Alas expandit*, *Regia hæc Aquila*? ad affines, fœderatos, *Amicos*, Amoris sinu, & gremio fouendos & protegendos:

At Capitur Imperialis hæc Aquila? suauiolenti odore *fragrantium Galliæ liliorum*; & quàm blandula sacrâ basiâ *Hymænea*, *Leonibus Castellæ*, *suauiantia hæc lilia libant*? quam refluis & reciprocis *castis* osculis & amplexibus *Nuptialibus*, *Augusti hi Principes*, *Sceptri Hispanici & Gallici* intimè se stringunt? vt lætè vndique sese exerunt, *Caputque* attollunt *Purissima & candidissima hæc lilia*? *cælestes hi flores*? Honoris, & *Amoris*, *Plenissimi*? qui vitalis auræ odores suauiter vbique afflant & aspirant & *cælum terramque* delitianti sua fragrantia mirificè perfundunt: quæ *Gloriosa & inclyta insignia è cælis dilapsa*, *Gallicani nominis & Gloriæ decora*, & *monumenta clarissima*, per tot *inuictissimorum Regum* alta stemmata ampliter decurrentia, velut

Elias Rensnerus. Genealog.

splendi-

splendissima luminaria, *in Augusto Ecclesiæ firmamentô* coruscantia , fulgentissimam *Gloriæ* claritatem mundo protulerunt, & *Christianissimi diuina Elogia* Regia pietate, fide, zelo, summisque in Ecclesiam meritis ad vberem illorum *Gloriam* in cælis cumulandam, & sempiternã *Nominis famã* in terris propagandam, *Gloriosè* compararunt:

His meritò proximè adiungendus *Sigismundus huius nominis tertius*, *inuictissimus & Potentissimus Sarmatum* Rex, *Ferdinandi Cæsaris nostri* (sorore in coniugem ascita,) *confrater*, qui innumeris *insignibus* celebris *victorijs* de infensissimo Christi hoste reportatis, nouissimè, altera *memorabili*, & ab omniũ sæculorum *memoria luculentissima*, *cælo terraque* applaudentibus, de *Ottomanico fastu* parta, *immortali Gentis et nominis sui Gloria inclarescit*:

His annumera, *inclytum Cosmum*, *magnum* Nuper *Hetruriæ Ducem*, *florentis Italiæ decus*, *et lumen Maximũ*, *Austriaci sanguinis* gloria triumphantem , *Gloriosæ memoriæ Philippo tertio Hispaniarum et Indiarũ Monarchæ Potentissimo* , *ex consorore fratrem* :

Monarchis his accẽsendus in Augusto hoc honoris Theatro; *Martis ille fulmẽ*, *serenissimus dux Sabaudiẽsis*, fœcundissima & florentissima *sobole ex* Regia *Catharina magni Philippi secundi Hispaniarum* Regis *Augusti* filiâ auctus:

His omnibus Honoris causa insere, *Augustam Isabellam, Claram, Eugeniam, Aeterni Nominis Principem, Belgijs* fęlicissime dominantem; cuius excellens animi magnitudo, *prudentia, ardens in deum pietas, insignis castimonię, & Pudicitiæ fama, Amorque in castas Vestales*, reliquæque *Regiæ* virtutes alto suo *stemmate, sanguine, et fortuna dignę* non *Hispanias tantum & Belgium*; sed circumfusum vndique mundum, *amplissimum* habent *Theatrum*:

Vnde *Nexus*, & sacri sanguinis coniunctio, *Sceptri Anglici* cum *Hispanico, tot clarissimis affinitatibus florentissimo, et Potentissimo, vnica, consultissima, & expeditissima* censetur ratio, *ad orbem Pace* stabiliendum, innouandum, beandum:

Quid enim in *Regia aliqua cognatione* amplum & illustre, quid *felix* & *Augustum, splendidum* & *magnificum*, quid *commodum* aut *honorificum*, sperari aut optari possit? quod vbertim hic non suppetat?

In *Regiarum* nempe *Nuptiarum delectu, cordati Principes, è Prudentiæ Præscripto*, hæc imprimis attendunt:

Generis Nobilitatem & *familiæ claritatem, Affinitatum Nexus, sponsæ Elegantiam, dotis Amplitudinem, Potentiæ fulcra*, Seu *subsidia*, &, *Auxilia emergentia*, & *Patriam*:

At quam affluenter vniuersa & singula hæc in

ſacra hac Affinitate concurrunt? *Generis claritudo* quæritur? at illa è *maximis* R*egibus* & *Imperatoribus* perpetua ſerie deducta, *clariſſima: Potentiæ magnitudo*? at illa hic multo maxima, *ſpectatur dos*? at hæc ditiſſima, & totius *Europæ* ampliſſima, R*egia virgo*? at hæc *blandulus flos veneris è cælis Elyſijs decerptus*; *ſubſidia*? at hæc validiſſima & inſtructiſſima: *Patria*? at hæc *nobiliſſima*;

Enucleatiùs quædam aperienda:

Quantæ *Potentiæ Amplitudo, & Gloriæ celebritas Principi Carolo ex* R*egijs his Nuptijs* accederet? nam (præter ampliſſimam *dotem & decuplò maiorem* quam alibi vſpiam ſperare poſſet:) *Coronæ Hiſpanicæ* R*egia Prole non ſuſcitata, aut nata, et extincta; Principi, Palmarium Titulum, & Ius,* ad R*egna omnia, ditiones, & Dominia,* competere, extra omnem aleam eſt: *cui*, & R*egiæ ſuæ ſoboli*, vtræque *aureæ Indiæ; Hiſpaniæ, Luſitania, Belgium, Sicilia, regnum Neapolitanum*, D*ucatus Mediolanenſis, inſulæ Maiorica, Corſica, Minorica,* & non contemnenda pars *Africæ*, omniaque *Sceptra, Regna, Imperia, Coronæ Hiſpanicæ*, indubitato *iure* & *ſucceſſione* vt(*loquuntur Iuriſconſulti*) *in ſolidum*, accreſcerent; quod vnum *Anglorum Nomen* altiùs attolleret, & immortalitati commendaret, quam *inclyta* omnia eorum *fortia facinora*, & *Arma victricia*:

Nam certum eſt & *Publicis tabulis* conſignatum,

Regiam sororem *Natu maiorem, serenissimam* *Dominam, Annam Austriacam, Augustam Galliarum* *Reginam, omni successionis Iuri in integrum renunciasse; & serenissima Sabaudiensis familia,* non nisi transuerso & *obliquo Titulo* prætenderet, imo desiderata sobole *Regiæ coronæ* *Hispanicæ, & Cæsareæ Majestati Ferdinandi nunc felicissimè dominantis Imperatoris, vniuersa familiæ Austriacæ ditio, & dominatus, Principi Carolo, pleno iure cederet:*

vide Acta Nuptialia Diui huius Connubij.

Quod verò *subsidia* attingit & *Auxilia*, illa nusquam in omni *Europa*, magis firma, fida, aut instructiora inueniri possint; nam in colendis & sanciendis amicitijs, *Hispani*, maximè omnium *fideles sunt, constantes, & penè Pertinaces, nam sacram fidem, & promissa vel Amplis et honorificis Præmijs violare, turpissimum putant*, & præter infinita alia constantis voluntatis suæ, & affectus, sæculis retroactis, *in Affines, & Amicos, Nobilissima Pignora, Memorabile illud Anno* 1565: dum *Gallia* intestinis vndique bellis arderet, omniaque tumultubus & cædibus *miscerentur, Regem Philippum secundum, Aeternæ memoriæ Principem, Carolo Nono Galliarum* *Regi confratri* regias submisisse suppetias, & validissimas tum *Equitum* tum *Peditum* suppeditasse *copias*, ductu & auspicijs, (*illustrissimi Comitis Arrenbergij*) quæ ad hostium insolentium vim edomandam & *Perduelles* in officio, continendos,

vide Annales Franciæ in vita Caroli Noni.

Nobili

Nobili & *luculento Præsidio* illi fuerunt:

Et qui in perplexos illos *Bellorum mæandros*, *Germaniam* miserè flagellantium, oculis & animo altius penetrauerit, *inueniet labantem*, & iacentem, *Romani Imperij majestatem*, ab *vnico optimo Maximo*, *Hispaniarum monarcha*, conseruatam & restauratam, qui maximam apparatus bellici partem suppeditauit, *ope, manu, milite*, semper affuit & succurrit; vnde *Imperij dignitas* fæliciter *assurgit* & se *attollit*: magno *Cæsaris* bono, magna *Imperij* Gloria, & *Reipublicæ totius Christianę* fructu & ornamento:

Et sanè in *Principum sacris Affinitatibus & Amicitijs*, multum ponderis & momenti semper situm est, vel ad *Hostem* lacessendum, vel profligandum, vel *Amicos* foris iuuandos, vel suos domi tutandos, vel ad vim quouismodo *inferendam vel repellendam*: *Subsidia & commoda a sacris Principum affinitatibus.*

Nam neque classes, aut Arces, tam firma sunt *Regni fulcra, et propugnacula*; *atque Affines & Amici*:

Commerciorum verò Res & Rationes, nusquam aut *Ampliori lucro*, aut *vberiori Prouentu*, exercentur quàm in *Augusti Regis huius ditionibus*: *Commoda è Commercijs.*

Quanta enim & quam *vberrima commoda Regna beantia*, hinc emergunt? quam amplæ *opum & facultatum* accessiones? quàm frequentes & celebres *Negotiationes*? quibus *Nihil* ad sublimandam *Regũ Amplitudinem* magnificentius, aut ad *Respublicæ Decus*

illustrandum *præclarius*, *muniendum fortius*, aut ad *ciuium fortunas* augendas, *vtilius*, immo nihil in omni *officij* genere, *humanæ vitæ* vel *Prodesse* magis, vel plus afferre *splendoris posset*:

Vnde non *minima laus* est *optimorum Principum*, *Populi sui commodo et ornamento* studentium, id in *censu suo*, maximè ponere, *illud sibi tantum lucro* ducere, quod *subditis quouis modo, dignitatem, aut vtilitatem*, afferat:

Imò *Penitius & acutius in commerciorũ momenta* & *Emolumenta* intuenti? quàm omnia *optima, fælicia, benefica* occurrunt? quàm *vtilitatis* atque *splendoris* plena?

Ex ipsis Hispanijs quàm opulenta & splendida vndique *merces petuntur*; quàm *insignes* & verè *Regiæ*, tanquam nobilissimo totius *orbis mercatu* & *Emporio* ex *vtrisque Indijs*? quibus penetrandis & perragrandis fauentiores & indulgentiores futuri sunt *Hispani Anglis*, quàm reliquis *illustribus Europæ populis*:

In *quibu* non vt in *lapidicina* aliqua petrosa, steri-li; deserta, lapides tantum aut lutum effossuri desudauerint, sed *preciosissimis* & *opulentissimis effodiendis Aurifodinis*, *Aurum* erruent, *Argentum* colligent, *flauescentis metalli*, luculentum lucrum facient:

Neque in mari Indico Pisces marinos cõmunes, gregali cõcordia placidos, *aut oppiparos illos et lautiores*,

succinum & oleum manantes, delitiantis stomachi *prædas Auidas*, solũmodo piscabũt; sed *Nobiles exercebũt piscationes*, imò *Regias Piscationũ* delitias instituẽt, *Gẽmarum* pellucidarum, *Margaritarũ* ex quisitissimarũ, *monilium, vnionum*, infiniti pretij, maxima *copia*, superfluente *mensura, quæstu vberrimo & incredibili*:

Qui vero *Martem colunt*, *Castraque* sequuntur, ne ignobilis & desidis *otij* delitijs & illecebris deliniti, *domi* diffluant & eneruentur, *sub inuictis signis et vexillis*, sub fælicibus *Augusti Sceptri huius auspicijs*.

Amplissima & opima stipendia *laudis bellicæ Palmus* & *Præmia*, & sperent & ferant:

Expeditiones enim *Nauales* & *Castrenses*, *Terra Marique*, ad rem augendam, ad *decus & Nomen* comparandum, ad *militaris virtutis & Gloriæ messem* vberem demetendam, semper sese offerunt:

His adde, conubia mũtua, inter subditos intercurrentia; ad *Popularium* studia concilianda & conseruanda, ad animos demerendos & retinendos *incitamenta blandissima, amorisque* quasi *Philtra & illicia potentissima*:

Ipsa vero regia virgo, serenissima Domina *Maria Austriaca* tot maximis *Regibus*, *Imperatoribus*, *Atauis et Proauis* oriunda, *Maximi* Regis filia: *Maximi Regis soror maximorum* Regum & *Imperatorum* (Deo dante) *Genetrix futura*, præter *alti* & *Augusti sangui-*

nis stemmata, corruscanti item virtutũ suarum *fulgore* ceu tot *micantium syderum luce* mirifica splendescit: in quam *Gratia*, *Natura*, *Fortuna*, *diuiniores omnes opes suas prodigè profuderunt*:

Ijs omnibus excellentibus exculta *dotibus* quæ *fœminam Principem*:

Castis illis prædita moribus, quæ inclytam coniugem:

Regijs *ijs* adornata *virtutibus* quæ *Augustam* Reginam *constituant*:

Patria

Cuius Gloriam & splendorem, Præstantissimi Nominis Nobilis scriptor in non mediocri H*ominis* fœlicitate ponit, infit enim, *beatè victuris* iuxta R*ationis Præscriptum*, opus esse imprimis *Patriam* habere *Gloriosam*, vtpotè, quæ *excelsis* & *illustribus animis ad virtutem* amplectendam & res præclaras gerendas *Nobilissimum* sit *illectamentum* & *incitabulum*.

Patria itaque regiæ sponsæ virgini Hispania est, id est *Regio* illa *orbis*, & *Europæ*, *Pars Amænissima*, & *Nobilissima*:

Terrarum optima, *opulentissima*, *frugum*, *fructuum*, & omnium *lautissimarum* & *laudatissimarum rerum*, *feracissima*: quam ab *Oriente* & *Septētrione Pyrrenei vndique* montes cingunt, *Reliquarum Partium* Herculeæ Gades & Oceanus Borealis, limites:

Quæ *interiacentium montium* & Oceani maris vastissimo

ſimo ſinu continentur, quaſi *nouum orbem* facientia, *ad Hiſpanias* item ſpectant, adeò vt omnis illa *Regio* quæ à *Luſitania* ad *Pyreneos* vſque ſaltus protenditur, *Hiſpanici Sceptri Ampliſſima* ſit *Ditio*, tamque vaſtæ dimenſionis & circunferentiæ cenſetur, vt *florentiſſimum &* *Nobiliſsimum diffuſum* *Galliarum Regnum*, longitudine, & latitudine adæquet:

De Hiſpanis in Genere, ſic *Guicciardinus & Boterus*: *Bot. Rela.*

Hiſpani tam *Gallis* quam *Germanis* aptiores, & *Guiciard. Hiſt.* *Animi* tædijs deuorandis, & corporis incommodis perferendis.

Atque, vt *veteribus* placuit, & *experientia* ad *oculum* *Strabo.* liquet, *Inediæ*, *frigoris*, famis, ſitis, *ſolis*, Hyemis, *Iuſtinus.* *corporis & animi* fatigationum patientiſſimi ſunt *Hiſpani*, & pro *Patria* & *Honore* quæuis *Pericula* adire paratiſſimi.

Aeris Amæniſſima & puriſſima ſerenitas, *cæli* ſumma *ſalubritas*, *ingenijs* poliendis, & acuendis aptiſſima:

Hinc *maximi & Augusti* Romani *Imperatores* omnium *virtutum Gloria clariſſimi* prodierunt, *Traianus*, *Adrianus*, *Antonini*, *Theodoſij*, Honorius, *Arcadius*, qui *orbi &* I*mperio* glorioſiſſimè olim præfuerunt.

Et ex qua tanquam M*artis &* M*ineruæ* quodam *ſacrario*, infiniti *ſuperioribus ſæculis*, & noſtro, *inclytiſſimi et fortiſsimi* Duces emerſerint; *Prudentes*, *cordati*, *experti*, *Martis et militiæ* Gloria *eminentiſsimi*,

F.

innumerique *sapientissimi* D*octores*, *viri* propemodũ *diuini*, *laureis*, *literis*, *Musis* ipsis *sacri*, & *venerandi*.

Vnde tali *cælo*, *solo*, *stirpe*, *stemmate*, *origine*, *Regia Parẽte*, *Genus & Patriam* beante, *regiam nasci Prolem*, verè *regium & diuinum*.

Prout fortes creantur fortibus,
Matribusque similes gignuntur Proles:

Extra *Hispanias* verò in *noto* & *ignoto Orbe*, in vtrisque *Indijs*, *Oriẽtalibus* & *Occidentalibus*, quantum *Dominatu* & *Imperio*, polleat hic *Rex*, non facile verbis assequendum. *Nam* in remotissimo illo & longè dissito tractu, *Tot* ac *tanta regali huic Sceptro* parent *Regna* & *Imperia*, vt *miraculi* instar, in *eorum aliquo Horizonte* & *Hesmisphe̱rio*, *pẽdulus* sol *radioso vultu suo Clarus semper* & *conspicuus appareat*, *imò*, *quod omnem vincit admirationẽ*, nulla non *hora*, tã *Nocturna*, quã *diurna*, *in ijsdem ditionibus*, *Sole teste & perpetuo inspectãte*, *iuge sacrificium Numini litatur*, & sũmæ *Gloriæ* & *amplitudini inuicti huius Monarchæ* ascribitur, quod in quatuor, Nobilissimis & celeberrimis *mundi tractibus Asia*, *America*, *Affrica*, *Europa*, *solus hic* Rex amplas possideat *Ditiones* & D*ominia*, quod reliquis *potentissimis Europæ Regibus* & Monarchis denegatum.

Vniuersa hæc et singula, *Genus*, *Affinitas*, *Nominis Gloria*, *Clientelæ*, *Potentiæ magnitudo*, *sponsa*, Dos, *Patria*, *subsidia*, *commoda*, *amplitudinis* sunt D*ecora &*

dignitatis Ornamēta, quæ *Sceptri* Hi*ſpanici ſacrum Ne-xum* comitantur.

Rurſus *ſi Maieſtatis oculo, inuictiſſimum Sceptri Anglici Monarcham* inſpiciamus, ſi illius D*ominatum*, *Potentiam*, *præpotentis fortunæ vires*, & *magnitudinem* conſideremus: Quam *omnia alta*, *Augusta*, *Admiranda* occurrunt? *Quantum terra marique Imperio*, *Pollet inclytus hic* Rex? Quot *ſpacioſis et ſpecioſis imperitat* Regnis? Quam *infinitis Populis, animoſis, fortibus, præſtrenuis Marti*, & militaribus *copijs* ductandis *Natis*? vnde enatum illud.

Pax cum Anglica et reliquo Mars belliger orbe.

Quam Affluentiſſimis, & lectiſſimis commoditatibus *humanæ vitæ, ad victum, cultum, ornatum, vſque ad Abundantiam* deſeruientibus, illius R*egna et Imperia* vbertim abundant? *è quibus tanquam Perenni quodam fonte*, tot illuſtria & opulenta omnis generis *Mercimonia* traducta, per Europam vndique exundant, indeque per orbis huius Noſtri, & Antipodum fines, latiſſimè diffunduntur.

Quam alta Natalitia, & *Auguſta ſtemmata recenſeat*? quàm innumeros *inuictiſſimos Atauos, et Proauos*, R*eges fortiſſimos* è R*egnis diuiſis* & *diuerſis* N*umeret*? Hinc, *viginti amplius Maximos* & *Potentiſſimos Monarchas*, illinc, *inſignia*, *Aurea hæc verba geſtantia*,

Centum ſex Proaui, hæc Nobis inuicta dedère.

Si *igitur* in *Augustorum* Numinum *horum Maiestate, fælicitate, fortunis, Potentia, amplitudine*, omnia *Clarissima & Nobilissima sancti Amoris illicia* concurrunt, quæ *Regias aliquas Nuptias Augustè* illustrare & beare possint, & ex quibus *copiosissimi, vberrimi, & lætissimi* Reipublicæ *Christianæ Pacis Prouentus* indies expectantur:

Nouum nè *alicui, mirum, singulare, insolitum, aut inauditum* videbitur, *Sceptra hæc Augusta* Regijs *initis nuptijs*, ceu *sancto et illustri pignore* coalescere? *Mirum* planè, aliter si eueniret:

Quo enim vnquam tempore, ab omni hominum Memoria, *inclytæ hæ Monarchiæ floricomos Hymęneos*, & *sacras Nuptias* ad *Amoris Aram* non *consecrarunt*? *An Non* è *Nascentis* vtriusque *Monarchiæ cunabulis, sanctæ Pacis* & *Amoris* oscula *libarunt*? *Nam cui dubium est, quin* innumeri *inuictissimi Hispaniarum* & *Lusitaniæ* Reges, *Reginarum matrum Anglarum vterum* & *vbera agnouerint*? *Nũquid* nõ plurimæ itidẽ *serenissimæ Reginæ Hispanæ*, Regnum *Angliæ Potentissimis multis & inuictissimis* Regibus *bearunt*? *Quid aliud* est igitur *Augustas has coronas Nuptiarum* sacro *pignore* & *Nexu* iungi, quam *veteres Necessitudines* nouis *amicitijs* cumulari, & *sacrosancti Amoris Aeternum* quasi fœdus & vinculum sancire? *Qui populi* vnquam coniunctiores & chariores inuicem? tam arctis fœderibus, tam multi-

multiplici nexu vincti?

Percurrantur Annales, consulantur fasti, retroacta repetantur sæcula, *vetera* omnia terantur *Monumenta*; obuia affatim suppetunt exempla, *Regiæ vbique* inter sacras *has Coronas* numerantur Nuptiæ longa decurrentes serie, aliæ ex alijs pendulæ, & catenatæ, *Aurium veluti* perēnis *Amoris Circulū*, & orbem conficientes.

Sic Eleonora Guilielmi è *victricibus Armis* Regis *Titulum* sortiti, filia, *Alphonso Galliciæ Regi* elocata circa Annum Domini. 1076. *Nuptiæ Prima.*

Sic Alphonsus eius *Nominis Octauus Castellæ* Rex, *Secunda.* inuictissimi *Regis* Henrici *regiam filiam Eleonoram* in Augustam coniugem asciscit Anno 1171.

Sic *Edouardus Gloriosissimus* & *bellacissimus Rex*, Eleonoram alteram, Ferdinandi Tertij Castellæ Regis filiam Regiam, *splendido* sibi *deuincit coniugio* Anno 1255. *Tertia.*

Heu stupor miraculi, admiratio vndique me inuadit, sensusque omnes *obsidet*, & *vox* miraculi magnitudine præpedita, officij nescia, conticescit, sine *voce* tamen seu *tacens* seu *obstupescens*, memorandum vt potero, quod sentiam, eloquar *facinus*:

Illa Regis, illa Mundi, illa omnium Decus & Delitium *Eleonora*, vehementis amoris, impetu exæstuans, *Edouardum* Regium Coniugem in *terram sanctam* co-

mitata est; cumque proditoriè in via a *Mauro* quodam gladio venenato percussus fuisset, & *medicorum* remedijs non tàm *alleuaretur* quàm *alligaretur*, tandem in *Angliam* sine spe salutis est reuersus:

Referunt Ludouicus Viues l. 2. de fami. Christiana Roderic. Archiepisc. Toleta. in Actis Hisp. Rodericus Sancius episcopus Palentinus Hist. Hispania. p.p. Theodorus Zinger. volu. 18. l. 21. Camdenus chrogra. descrip. Midels. Ioan Stoeus Synopsi rerum Anglicarum Paulus Hemilius Histor. l. 8.

Eleonora Coniux nouam atque iuanditam, sed *amore* & *pietate* plenam adhibuit *medelam*, *plagas* enim *dormiscentis Mariti Regis* lingebat, sugebatque *humorem venenosum*, sibique *liquorem* dulcissimum, *cuius vigore*, dicam verius *fidei coniugalis virtute*, sic omnem *veneni* Materiam attraxit, vt *integratis vulnerum cicatricibus*, *ille* plenè curatus, *illa* incolumis euaserit.

Quid igitur *Mulieris* huius *fide & Amore* rarius, quid mirabilius, esse potest? vt *vxoris* lingua *fide* & *dilectione maritali* perūcta, *venena è dilecto Marito* expulerit, quæ ab electo *Medico trahi* non valuerunt, & quod plurima exquisitaque *Medicamenta* non efferunt; *vna vxoris pietas expleuit*, magno miroque affectu, *sexum et Naturam vincens*:

——*Tanti dux fæmina facti*:

Nec *primam visa est similem nec habere secundam*:

Quodque etiā mira, & memorabilia sint æmula *Honoris & Amoris* obsequia, quibus *optimus Rex* illustrem & officiosam hanc *Reginæ pietatem* piè rependerit, hic non omittenda *censeo*.

Rege Reginaque Scotiam *versus* proficiscentibus, (*Heu fatam*) morbo impetita medio itinere *moritur*,

Regina: Anno 1284. Decem. Idus 4.

R*ex* inopinato hoc fulmine consternatus, *Londinum vrbem regiam* repetit, R*eginam* æstuanti calentis *Amoris* impetu vt *viuam* deperijt, *sic* defunctā amarè *defleuit*, *& pijs impulsus* affectibus, *vota nuncupat*, *preces offert*, *elemosinas* errogat, *sacris*, *oblationibus*, omnibusque excellentibus R*egiæ Pietatis* officijs, pro R*eginæ* salute *deum delinit.*

Multorum post-modum dierum tędio deuorato, & per varios viarum anfrâctus longi itineris *emenso Stadio*, ad *oppidum* D*iui Albani titulo Nobile* sacrum corpus appulit; C*lerus* & vitæ instituto *religiosi dicati Deo* homines, *solemni pompa*, *cultu*, deuotisque obsequijs accurrunt, *Corpus* prona & venerabūda *Pietate* excipiunt, & in Ecclesia D*iuo Michaeli sacra*, antè *summū altare* sistunt *totaque Nocte* (vt mos tum obtinuit) diuinis decantandis officijs, sacrisque vigilijs celebrandis, *inclyta deuotione* honorant.

Postero die Londinum non longe dissitū appellunt, R*ex*, cum effusa *Nobilitate* & *Clero*, celebri funebri pompa, & apparatu, obuiā procedit, C*orpusque Nobili* & frequenti comitatu, maxima omnium *veneratione*, *Vestmonasterium illustrem Regum sepulturam* deducitur, & in *Ecclesia diui Petri splendida* & *magnifica*, redolentibus conditum *aromatibus*, amplissimisque adornatum exequijs, *honorificè* sepelitur.

Iussit insuper *pius Princeps*, in *celebrioribus oppidis* & *villis* in quibus *Honoris* causa *Corpus* cõstitit, magnificentissimas & exquisitissimas erigi *cruces Auro* & *Argento* affabrè *oblaqueatas* & *elaboratas*, *Reginæ* singulis incisa, & insculpta *imagine*, & duodecim opulenta & amplissima *oppida*, *Abbati Vestmonastenensi*, dono dedit, elemosinis faciendis, precibusque fundendis, vtque ad rei *perpetuam Memoriam Beatissimis Reginæ Manibus* piè parentarent: *O memoranda* R*egia vtriusque* mutua in secula *Pietas*.

Regina hęc *Hispaniarum* D*ecus* longè *Florentissimum*, fuit super omnes mulieres, *pia*, *prudens*, *casta*, *modesta*, *laudatissimæ indolis* & *admirabili* virtutũ omnium concentu, ad omnem gratiam promerendam nata Princeps; *Pauperum Patrona*, *oppressorum Asylum*, Anglici Nominis *perstudiosa*, R*egni totius Columna*, grauamina enim vbique sustulit, lites diremit, *Pacem* fouit, & omnibus quantum potuit largiter benefecit, quam, pietas, vita, innoxia, & dijs proxima virtus, seu *Clarissimum cælo Sydus* asseruerunt.

Sed ad lineam.

Quarta. *Sic Ricardus Cordelio* R*ex*, *Berengariam Magnanimi Sanctij Nauarræ* R*egis filiam regiam* ducit *vxorem* Anno. 1189.

Quinta. Sic *Henricus Quartus Angliæ* R*ex*, regium init conubiũ cũ *Ioanna Philippi Nauarræ* R*egis* filia Anno. 1403.

Sic

Sic *Ioanna altera*, *Edouardi* tertij Regis filia nuptui datur, *Henrico* secundo *Castellæ Regi* Alphonsi vndecimi Regio filio. Anno. 1360.

Sic *Ioannes Alencastriæ Edouardi Tertij* Regis *filius regias* celebrat *nuptias*, cum *Constantia Petri Castellæ Regis* maxima natu filia, Anno. 1369. *Septimæ.*

Cui iure Coniugis Constantiæ Regnum Castellæ cessit, *Regemque Castellæ* & *Legionis* vterque se inscripsit, quo *illustri titulo* Nobile visitur illius *Sepulcrum* in æde *Metropoli Londini*, *Diui Pauli* sacra. *Octauæ.*

Sic *Catharina Ioannis Alencastriæ* vnica ex *Constantia filia* nuptui traditur *Henrico* Tertio filio *Ioannes Regis Castellæ* & *Legionis*, Anno. 1388. *Nonæ.*

Sic *Edmūdus* Dux *Eboracensis Edouardi Tertij Regis* iunior filius *Isabellam Petri Castellæ Regis* minimam *natu filiam* in *vxorem* ducit, Anno. 1371. *Decimæ.*

Sic Rex *Henricus Octauus*, *Regiā Catharinam Ferdinandi* & *Isabellæ Castellæ* Regum *Regiam* accipit *Coniugem*, Anno. 1590. *Vndecimæ.*

Sic *Augustus Philippus Secundus Hispaniarum & Indiarum* Rex, Regio copulat conubio *Mariam Angliæ Reginam*. Anno. 1554. *Duodecimæ.*

Et *Quid nŭ Inuictissimo* & *Serenissimo Principe Carolo* & *Augusta* Domina *Maria Austriaca Hispaniarū Infanti*, idem *Pronunciandum*? *Prædicandum*? & *Sempiternæ Memoriæ* Commendandum?

Hunc cum *Nomino.*

Ipſos *Veneris* Amores intelligo,quos non aliam *oris* formam,*Genarum,Oculorum* habuiſſe diceres?

Cui regia ineſt indoles, dotes diuinæ, *Genius* altus, *Ingenium* eminens,ad omnia *Anguſta* & *Excelſa* aſſurgens. *Mores* placidiſſimi,*Natura* excellēs,*Optimis* exculta *inſtitutis* ,nec Præpotentis *fortunæ* indulgentia victa, nec *Aulæ delicijs* vel *illecebris* corrupta, nec *voluptatum,*Lenocinijs aut *Blandimentis* in prauum diſtorta.

Hæc Animi:

Corporis:

Species diuina & Majeſtatis plena, frons, lata & læta,Clari & Micātes *Oculi* præfulgentia veluti *Lumina, Vultus Amabilis* & *Decorus*,quo tanquā *Placido aliquo ſydere* capti & deliniti omnes. *Aſpectus* blandus, gratus, *Conſtitutio* Elegans, robuſta tamen, & *Armis* omnis Generis in *Palæſtra Martis* tractādis aptiſſima.

Hæc vtriuſque:

Militaris Gloriæ partes inſigniter callere. *Fortibus* & *ſtrenuis* ex merito *Palmas* & *Præmia* ſtatuere. *Enſem ſcitè* vibrare,*Tela* dextriter iaculari, *haſtis* validè decertare, *equos ad curſũm* & *pernicitatem* exercere, & ex *Arte* in *Gyros* ducere. *Stadio Palæſtrico* curſitando, *ſignum* fœliciter petere, *frontem* puluere & ſudore concretum *oſtentare, Annis ſemper* aliquid *Maius* audere.

Quæ Singula in illo *Summa.*

Omnia insuper *Regio* digna *Sceptro*, maximè affectare.

Illam cum *designo*. *Aureã vitem lætificam*, speciosissimis & gloriosissimis *Pampinis efflorescentem delineo*: *Florem Principum, Europę Gemmam, Orbis delicias Hispaniarum* Decus, *Gratiarum* & *Virtutum omnium Cæleste Sacrarium*: Quid enim illa, *sanctiùs, castiùs, modestiùs*? Quid item *venustiùs, cultiùs, amabiliùs*, quæ *Regnũ quoddã* Bonitatis in se exercet, in qua, *Optimus quisque* pulcritudinis *Apicẽ* constituit. *Oculi illi sereni* & *ridentes, Mens diuina*, facies *decora, Majestatis* simul & *Amoris Sedes Corporis* Elegantia summa, *Artis* & *Naturæ Pretium*, *forma* ad *miraculũ* suspicienda, vt demireris sub tam *fusco* & *adusto sole* gæmmulã tam formosulam gigni.

Ipsa reliqua, *tota Deorũ* Dos, *Tota Venus* Tota *Virtus.*

Immo affirmare ausim, *Reges Angliæ Monarchas*, delectu omni habito ex totius collecto *Europæ* flore, nũquam tam Beatulas ac fælices sortitos *Coniuges*, ac *Reginas Consortes Hispanas*:

Sit *prima* in hac *Honoris scena*, *Regia Eleonora*.

Quid illa? nisi sexus sui *Stupor* & *Miraculum*?

Quid *Catharina* R*eginarum Maxima*? an non *Prudentiæ, Candoris*, omniumque *Regiarum virtutum* illustre, *Speculum* & *Exemplar*? quæ Si Bonorum desiderium attenditur? *parum Vixit*, Si Virtutũ Amplitudi-

nem, & Splendorem quibus claruit, *diu Vixit*, Si ad *fortunæ* Contumelias, quas inuicto tulit *Animo*, *Nimiū Vixit*, Si *inclytorum operum famā* & *memoriam*? in omnem Viuit *Æternitatem*:

Quid, *Constantia*, *Isabella* Ioanna, reliquæque *Reginæ Hispanicę*, nisi tot M*aritalis* fidei, *Amoris*, *Pietatis*, *Pudicitiæ*, Luculenta & illustria *Spectacula*.

Hæ Anglici Imperij propriæ:

Alienas nè? & quæ hodiè in viuis, in oculos nostros incurrunt persequar.

Quid *Isabella Clara Eugenia*, *Principum Augustissima*? illa *Prudentiæ*, illa *Consilij Sacrum Oraculum*, omniumque Virtutum Regiarum Spirans *quasi Dea* & *Idæa*?

Quid Serenissima & Augusta Domina Anna Austriaca Cælestium G*alliarum Liliorum*? *Cælestis Altera* R*egina*?

Quid Aliæ Magis R*emotæ*?

Quid Beatrix Potentissimi Alphonsi Septimi I*mperatoris Hispanorum* dicti, filia, *Ludouici Galliarum* R*egis Coniux Augusta*, fæmina omnium Virtutum *Genere* ad *Miraculum* vsque exculta:

Quid R*egina Blancia*, Nomine & Re, verè Candidissima, *Elionoræ Anglæ* C*astellę* R*eginę* filia, *Diui Ludouici Francorum* R*egis Mater Sanctissima*, qui tenella ætatula è *Sacra Matris* institutione *Pietate Hausta*, reliquo

liquo

liquo vitæ tractu nil nisi *Regiam Pietatem* & Christianam sanctimoniam spirauit:

Quid Altera Beatrix Panoniarum Regina, immortalis *Hispaniarum Laus* & *Gloria*, *Mathiæ Coromi* *Regis Coniux Inclytissima?*

Quid Clarissima Eleonora Magni Cosmi Medicei Coniux Augusta. Maximarum omnium virtutûm Mirificum Lumen & Exemplar:

Quid hæ omnes *innumeraque* aliæ nisi *Hispanici Nominis* D*ecora Nobilissima*, & *Sexus* sui quædam quasi *Numina* & *Miracula*.

De Viris Nihil dicam:

Nam, *fortissimorum*, *Magnanimorum*. *Temperantium*, *Integerrimorum*, Prudentium, Marte & Musis præstantium, Magnificis Elogijs ab ipsismet celebrantur Inimicis?

Ab Amicis igitur quid ipsis Concedendum?

Si igitur *Pax Natura sua*, Bonum sit adeò Luculentum & illustre, si Nuptiæ hæ Augustæ tam in se Amplæ & Honorificæ, si Reipublicæ tam *vtiles* & *Salutares*, si tam immensa secum Afferunt *Commoda*; & *Ornamenta*, Si tot Clarissimas & Splendidissimas *Affinitates*, Imperatorum, *Regum*, Maximorumque totius *Europæ Principum*, si tot Præsidia & Ornamenta:

Quæ *Laudes* & *Laureæ*? quæ *Palmæ* & *Præmia* debentur tibi. *Excellentissime Didace Comes de Gondo-*

I

mar Clarissime qui (prosperum velut, *Sydus*) *fælicitatem* passim influis, cuius *Altissima Prudentia*, Admirabili *Consilio*, Acri *iudicio* inuicta *Patientia*, indefesso *studio*, ingenti *Cura*, strenuis *laboribus* gloriosis *conatibus*, incredibili *Perspicatia*, *Solertia*, *dexteritate*, *vigilantia*, *Sedulitate*, *integritate*, *fide*, *Candore*, summo *Amore*, zelanti *Pietate*, Ardenti *Affectu*, Maximis *Obsequijs* innumerisque in *Rempublicam Christianam Meritis* tam *vberis* & *Copiosa* bonorum omnium *Messis*, tantus *fælicitatum* cumulus lętè *exurgit* & *exundat*?

Sed *vti Pictores* infinitam *Hominum* multitudinem deliniaturi, *ora*, *Vultus*, *Summaque tantum Capita* confusè innuere, & in *Arcto quasi Cyro*, omnia inconditè concludere *coguntur*: sic *vastum* & immensum *Laudum tuarum Pelagus* enauigaturus, eas nec leniter aut leuiter adumbrare vel *delineare*, *Sed in Arcto & Augusto* omnia indigestè simul concumulare impellor.

Quandoquidem Gloriosiùs semper duxisti *Res Præclaras Agere*, quàm *ventitare*, & Virtutem *Imperio*, *Opere*, & *Exemplo*, exercère *quam Verbis* prædicare & pręseferre, *dicam tamen Præcelse* Didace, & *vt audax* est *Amor*) *liberè* & fidenter dicam *ad immortalem Nominis tui Gloriam*:

Tu rebus Gloriosissimè gestis, & præcellentibus factis

Æterna ſeculorum Memoria *celebrandis*, conciliaſti inſigniter tibi *bonorum* effuſum *Amorem*, *Malorum* pronam beneuolentiam, *Omnium* incredibilem *admirationem*, famâm apud *Homines*, *Gratiam Apud Superos* & Laudis *Celebritatem* in Terris, & *Gloriæ* Amplitudinem in *Cælis*, *fęliciter Comparaſti*:

Beata Reſpublica tam illuſtri *Pignore*: Hiſpania tam *fælici Germine*. *Nobilitas* tam *inclyto Patricio*, *Rex* tam inſigni *Subdito*, *Seculum* tam *Claro* & *Raro Ornamento*.

Fælix Hiſpania, *fælix* Anglia; *fælix per te Europa*:

Quòd ſi in *fulgentiſſimo* & *ſplendidiſſimo Honoris orbe* perlucidus *Corruscet Caſtor*. Quid ni *Gemella Compar ſtella* Radianti *Caſtori Rutilus* ſuus aſſiſtat *Pollux*?

Quid ni *Præcellentiſſimo* de Gondomar? Prænobiliſſimus Digbeius, *Baro Sherbonenſis*, Qui in *Sanctiori Anglorum Monarcha Senatu* tanquam *Sublimi Maieſtatis firmamento* inter reliqua *Lucidiſſima Sapientiæ Sydera* Clariſſimè *emicat*:

Vir inclytus, *Clarus*, *Conſpicuus*, *Decorus*, *Elegans*, *Amabilis*, *Comis*, *Affabilis*, *Splendidus*, *Cordatus*, *Doctus*, *Diſertus Muſiſque Charus*, in *Principum Negotijs* verſatiſſimus & *Aulæ Myſteriorum* Peritiſſimus, quem *literæ*, *linguæ*, *Multiplex Rerum* vſus & *Experientia*, diuinioreſque *omnes Animi* & *Corporis* Dotes *inſigniter Nobilitant*, & Qui *Majeſtati Magni* Phi-

lippi Tertij Hispaniarum & *Jndiarum Regis* ob summam *Prudentiam*, *Maximarum* Rerum *Peritiam*, *integritatem*, *Moderationem*, *Candorem*, *Moresque suauissimos Charissimus* extitit: Apud quem pro *Majestate Jacobi* Regum *Maximi*, *Sexennium incredibili* Nominis sui *fama* & *Gloria*, *Regij Oratoris* Munere *Functus*, *Alteraque splendissima* & *Nobilissima Legatione*, pari nuper *Falicitate* Oblita apud *Augustum Ferdinandum Cæsarem* à quo *Magnificentissimè susceptus*, & *Amplissimis Omnis generis* Honoribus Cumulatissimè *cohonestatus* est:

Sed *Actio* omnis *Inclyta* & *Illustris* in *Excelso* & *Cōspicuo* posita (*tam audacula* & *petulca* est *Improbitas*) *Maledicentia* semper excipitur & Nigricanti *Calumnia*, inscitiæ aut *inuidentis* deformi & *portentosa filia*, nata æthereos haustus, thymum, Rosam, violam, Nectareumque *Mel florum fastidire*, *fel verò* & *absynthium tantum delibare*.

Hinc quidam Rebus Nouis Studentes, *impetuosis affectibus*, *Ambitionis*, *inuidentiæ*, *iræ*, *Cupidine dominandi*, Rei augendæ & *Popelli fauorem ambiendi*, quibusdam quasi *furijs agitati*, *pacifici tantum* in motibus, *quieti* in tumultubus, *falices* in calamitatibus *Regnis* & *Sceptris infensi*, non magis amicabilem *Concordiam*, Nomenque *Hispanicum* quam Regalem *Potestatem* & *Authoritatem* iniquè habentes *acerbis* & *aculeatis*

leatis inuectiuis Augustas has Nuptias excipiunt:

Quo Titulo Polypragmenes? Quid angit? Quid torquet? *Barbarorum* planè *illorum* Genium & Mores in hoc induimini, qui in *Victimis* & *Sacrificijs* Offerēdis *Fel Tantummodo* & *partes Vilissimas* Dijs suis *immolabant. Sic vos, Regi vestro Numini Tutelari vestro*, & *Altis* illius *Decretis*, *Animorum* vestrorum *Pestes* & *Affectuum Venena*, prophanè & irreligiosè *immolatis*:

Quin potiùs, *Meliora* Æmulamini *Charismata*, & *Gentiles* illos *Piè imitamini*, qui in *Sacrificijs Coniugalibus*, *Iunoni* Celebrandis, *Fel* è *Victimis* tollentes, *Holocausta* tantùm *Pinguia*, *Medullata*, *Grata*, *Læta*, *Iucunda*, *Placentia*, *Gaudentes offerebant.*

Deus Bone? tantam animis *Hominum*, inesse *inscitiam*? Quæso: Quo Titulo? minus arrident? *Augustæ Hæ Nuptiæ*? Quia ineundæ non sunt (*inquiunt*) *Quibuscum aliquandò* intercesserint *inimicitiæ*: *Bellè*, nusquam igitur contrahendæ: *Non cum Gallis*; Constat enim inter *illorum Monarchas et Vestros*, *flagrantissima* sæpe & accerrima exæstuasse *Bella*: *Non cum Germanis*: illinc enim *Anglici Imperij Sceptro*, haud leues olim *illatæ* & *irrogatæ* iniuriæ: *Non cum Italiâ*:

Nam cum Principibus Italiæ. Non semper integra & *illæsa* stetit *Amicitia*:

Ad *stadium Recurro.*

Non cum *Hispanis* aiunt, quod illi *Nuper Inimici*.

At Amicissimi Olim H*ispani*, & Nunquam *fortassis Iniqui*:

Nam licet *Anno Octuagessimo Octauo*, *Hostili* Apparatu *Exercitum* adornauerint, Hoc tamen Non *Attentabant*, nisi *Grauibus* priùs & *Atrocibus lacessiti* iniurijs:

Cuius adeò Aures ab *Omni Rerum Notitia* & *Nouitate* peregrinantur, vt tam *Luculentam* & illustrem *Veritatem* Non intellexerint?

Quot Deprædationibus & *Pyraticis Incursionibus* sæpissimè, *Vexati Hispani*? Quoties *Terra Marique Bonis omnibus exuti* & *expilati*? Quam *immensa* Vis *Auri* & *Argenti*, Alternantibus *Temporum Vicibus* illis *Adempta*?

Et *Quota Pars* vnquam reddita, & in integrum restituta?

Vt Nihil dicam de frequentibus *Auxilijs Perduellibus Batauis* Contra *Legittimum* illorum *Regem* tot *Annorum* Tractu præstitis?

Sed fuerint Ad Tempus, *Auersi*, & I*nfensi Hispani*?

Semper nè igitur *Alendæ* I*nimicitiæ*, N*utricanda Odia*?

Pijs & *sensatis Auribus* satis *familiare*.

Inimicitias omnes *Mortales*, *Amicitias Immortales* esse debere.

An N*ouum Euangelium*? N*ouus* & *Alius Christus*?

At *Æterni Patris Vnicæ Deliciæ Christus*, *Beati Oris sui Afflatu*, *Oracula* hæc pronunciauit.

Amandos Proximos: *Diligendos Inimicos*:

Inimici ex *Christi Mandato* diligendi?

Quo igitur *Cultu*? *Quibus Obsequijs*? *Quàm Insignibus Amoris Humanitatis*, & *Pietatis Officijs*, Complectendi & Demerendi *Amici*? *Veteres* præsertim, *Fideles*, *Integri*? *Constantes*?

Secundò, Hoc illos *Malè habet*.

Quòd differentes & *diuersi* sint *Hispanorum* & *Anglorum* *Genij*, *Mores* Dissoni.

At illorum *Mores*, *Sedati*, *Graues*, *Culti*, *Compositi*: *Homines*, suopte *Genio* & *Indole*, *Prudentes*, *Frugi*, *Temperantes*, *Affectuum* suorum *Domini*:

Si *Mores* istiusmodi *vestris Potiores*?

Cur non Amplectendi; & induendi?

Sin alij? *Non* sunt verè *Hispanici*, sed *Spurij*, *Illiberales*, *Adulterini*, atque ita *Respuendi*, Reijciendi, & *Contemnendi*:

At *Hispani Humani* sunt;

Ergò Ne*ctendis Amicitijs* maximè Idonei:

Ingeniosi sunt:

Ergo Deli*niendis* & Demerendis *Affectibus Aptissimi*:

Arguti sunt:

Ergò in Societate, & *Aulicorum Coronis*, *Chari*,

Grati, accepti.

Non enim *Corneæ* nunc ſunt H*ominum Fibræ, Agreſtiaue* adeò *Pectora*, aut tàm Ignobili *Surgunt Præcordia Luto:*

Quinimò ad *Morum Cultum*, ad *Vrbanitatum* & *Elegantiarum omnium Veneres* omnia Compoſita:

Quid Nì igitur Anglis cum *Hiſpanis* Optimè Conueniret? Cum *Seculis Retro Actis*, *Maximæ* & *Celebres* inter *Auguſtas* Has *Coronas* Floruerint Amicitiæ, Maxima *Animorũ Coniũctio*, Summa *Morum Affinitas* & *Similitudo*, *idemque* Nunc *ſtringat* Ne*xus*, *Officioſa* eadem *Conſtringat* Pi*etas*, *Sanctumque* idem *Subſit Amoris Vinculum* & *Illicium.*

Atqui Alia R*atione Auguſtæ* hæ *Nuptiæ* propalàm *malè Audiunt*, Nempè ob *Varios Religionis Ritus* & *Inſtituta:*

Hæc S*cilicet*, R*eligionis* Diſparitas *Lapis Offenſionis* & *Petra Scandali:*

Sed ô Faſtorũ Conſularium & *Sæculi* Sui & *Superiorum* aut planè *Inſcij*, aut parùm *Periti Homines*?

Incipiamus à Recentioribus.

An Non *Antonius* Henrici *Galliarum Nuper Regum Maximi Pater*, *Fide* & *Inſtitutione Catholicus*, Ioannam *Albretanam* Nauarræ *Reginam Proteſtantium* R*itus* ſecutam in *Matrimonium* Ducit, 1529.

Sic ipſemet *Henricus Quartus* N*auarræus Pridem Rex*,

Rex, *Protestantium* Institutis *Imbutus*, *Margaritam Valesiam*, *Henrici Secundi Galliarum* Regis *filiam*, *Auitæ* Fidei *tenacem*, *Re* & *Voto Catholicam*, *Luteciæ* Regali *Pompa Maximaque Principum* & *Procerum frequentia* & Concursu in Ecclesia Diuæ Virginis Mariæ Sacra, & Celebri, (vulgò Nostre Dame) Regiam asciscit Coniugem:

Dextras Iungente Carolo Borbonio Cardinali Henrici Auunculo. Anno 1572.

Quòd *Actio* Hæc fuerit *Dignitatis* & *Majestatis Plena*, *Nobilique Pompa* & *Apparatu Celeberrima*; Qui fusiorem illius Narrationem desideret, illum remitto ad librum inscriptum, Memoires Fran. impr: Anno 1579.

Sic *Praxis* & *Vsus* Hodiè obtinet per *Vniuersam Galliam*, *Germaniam*, *Daciam*, *Sueuiam*, *Poloniam*, *Hungariam*.

Altiùs Rem Repetamus.

Sic Regia *Clotilda*, *Chidelberti* & *Clotarij Regum Soror*, *Re* & *Religionis* Ritu *Catholica*, Nuptui datur *Almarico* Regi *Hispaniæ* Arriano. Anno Christi 514. *Vide Chronicon Sigiberti p. 23.*

Sic *Sigisbertus Mediomarticum* in *Francia* Rex *Fide* & Affectu, *Catholicus Vxorem* duxit *Brunichildem*, filiam *Regis Hispaniæ Athanagildi* Arriani Anno 569.

Gregorius Turonensis: *Author Pergrauis* eam sic laudat.

Erat inquit.

Lib. 4. Cap. 26. *Puella Elegans Opere, Venusta Aspectu, Honesta Moribus* atque *Decora Prudens Consilio*, Blandà Colloquio.

Sic *Chilpericus Suessonum* in *Francia Rex, Sigisberti* Frater, Voto &, Instituto, *Catholicus*, *Vxorem* accipit *Glassunitam* Arianam quam Alij Galsvimdam Bruichildis sororem. Anno. 570.

Sic *Carolus Crassus Gallorum* Rex *Fide* & *Proffessione Catholicus, Regiam Sororem Gilellam Catholicorum Sacris Imbutã*, Nuptui dat *Rolloni Normandiæ Duci*, Non Fideli. Anno. 1133.

Sic *Ethelbertus* Rex *Anglorum* nec dùm Fidelis, *Bertam Clotarij* Regis *Francorum* filiam, *Fide* & Institutione *Catholicam* in *Vxorem* Accipit. Anno 1014.

Robertus *Gagineus* in Compendio *Gestis Francorum* l. p. In vita Clotarij Primi.

2. Reg. 3. Sic *Sanctissimus* Rex *Dauid* Deo *Dilectissimus* & *Perchariffimus*, *Maacham Tholomai* Regis *Gessur* filiam in Vxorem ducit.

3. Reg. 3. Sic *Moyses Princeps Populi* futurus, Spiritu Diuino Afflatus, *Æthiopissam* duxit *Alienigenam*.

Numer. Cap. 12. vers. pr. Sic *Booz* (à Quo Christus) duxit *Ruth Moabitidem*:

Hester Cap. 2. Sic *Formosissima* & *Pijssima Regina Hester*: *Hebreorum Sacris* Religiosissimè imbuta, *Persarum* & *Medorum*, *Magno Monarchæ Assuero*, ex Alia *Tribu* &

Populo non *Hebræo*, Nuptui traditur:

O Quam *Innumera* hinc *promanarunt Bona*, Quàm *Copiosa* & *Cumulata* Vndique in *Hebreos* exundauit *Benedictio*? Cum *Millenorum* M*illium* Hebreorum, *Salus*, *Vitæ*, Fortunæ, per illam *Sartæ*, *Tectæ*, & *Seruatæ* fuerint:

Sic *Altera Speciosissima* & *Gratiosissima Hester*, *Reipublicæ*, illustrandæ, *Populisque Beandis* a Deo *Nata* & *Data*:

Et sicut *Omnium Totius Europæ Principum* Regum, *Jmperatorum*, *Sanguis Corda*, *Affectus*, in *Gloriosissimo* hoc Cælitùs *Demisso Conubio* adunantur; Ita *Par* omninò, vt *Omniũ* Domi *Subditorum*, *Studia*, *Affectus*, *Volũtates*, in *Regali Sacra* hac *Principum* Vnione *Coalescant* & *Conspirent*.

Nam *Suprema Populi Fælicitas* est, è *Principis Nutu* & *Voluntate*, tota pendere.

Regis enim ceu *Principis Supremi Voluntas*, instar *Supremæ Spheræ*, omnes *inferiorum Voluntatum Orbes* *Motu* suo Consono, & Regulari, Circumferre debet:

Vt enim in *Corpore Naturali* vnum *Præeminens Elementum* *Dominium* semper & *Jmperium* in Alia exercet: ità in *Mistico* & *Politico*, vna Suprema *Principis Voluntate*, *Ductu*, & *Imperio*, Reliqua *Membra Politica* in fide & *Officio*, Continẽnda: *Abyssus Multa Principum Mysteria*, *Nec temerè Propalanda* vel *Pro-*

phananda à Populò, aut sine *Piaculo* exagitanda:

Hinc Liquidò *Constat Authoritate* ducta, ex *Sacrarum Literarum Oraculis*: ex Recepto *Vsu Ecclesiæ, Temporum Praxi, Principum Consensu*, & Consuetudine, *Disparitatem Cultus*, Regijs inter *Principes Conciliandis* & *Contrahendis Nuptijs* Nullum esse Impedimentum:

Quin *Prægnans* & Pertinax *Ratio* Hoc idem *euincit*, Imò, *Necessitas* quædam Vrget & impellit ex *Principum Mysterijs* & *Arcanis status* Petita:

Quibus enim *Oris* aut *Orbis Angulis*, *Regia Aliqua Virgo* Conquirenda & Ducenda eiusdem *Cultus* & *Instituti*, quæ *Serenissimo Principi Carolo*, *Maximi Regum Augusti Iacobi, filio, Genere Stemmate, Fortuna, Majestate*, *Potentia, Amplitudine, Jmperio, Clientelis, Affinitatibus* Par *inueniatur*?

Huiusmodi enim *Homines*, Qui *Principum Mysteria, Altaque Decreta* minimè *Capiunt* & *Penetrant*, Sed *Omnia* Malesani *Cerebri* Debacchantibus *Furijs Metiuntur*, *Æquè Honorificum* Ducunt, Si *Augustus Aliquis Princeps Rupellæ Præfecti*, aut *Londoniensis Prætoris filiam* Ducat, modò eiusdem *Cultus*, Perindè ac *Potentissimi* Alicuius *Orbis Monarchæ Regiam filiam*, Diuersi:

Sic *Multicipitis* Instar *Belluæ*: semper.
Scinditur incertum Studia in *Contraria Vulgus*:

Secundò:

Secundò:

Periculum Nullum ſubeſſe poteſt *Nutationis* Alicuius in *Fide*, aut Principi, aut *Populo*, in *Regno* præſertim optimè *Inſtituto*, *Optimis Legibus* fundato, vbi *Sacra Stabilita*, *Sanciti Ritus*, longo *Vſu* & *Conſuetudine Recepti* & *Confirmati*; vbi Lectiſſimus *Clerus*, *Concionatores* Celebres, Florentes *Academiæ*, Eruditi *Prælati*, *Graues Antiſtites*, Totque paſſim M*agni Nominis* R*abbini*.

Imò *Veriſimilius* Multò vt *Princeps* Tot *Subſidijs*, Tantoque *Apparatu* Inſtructus, R*egiam Sponſam* Ad ſuam potiùs *Pelliceret*: *Quam* è *Contra*: Cum R*egia Virgo*, *fæminella* ſit *Delicatula*, Tenella, Procul A *Patria*, Ab *Amicis*, inter *Aulici Luxus* D*elicias* Nata & Enutrita, *Regijs Blanditijs* Aſſueta, *Fortunæ Sinu Molliculè* Fauta, Ad *Quam* Non *Spectat* In *Doctorum Sophiſmata* & *Argutiolas* Inquirere, *Libris* aut *Literis* Incumbere:

Quid Vna *Fæmina Princeps*, ſuis Tantùm Stipata *Palatinis*, Comitata M*atronis*, Ancillantibus Cincta *Domicellis*, Contra Numeroſam D*octorum* & *Antiſtitum Coronam*? Contra vniuerſum R*egnum*?

Tertiò, in R*egnis* Vicinis *Amplis*, & Diffuſis, Vti *Gallijs*, *Germania*, *Polonia*, *Hungaria*, *Sueuia*, *Dacia*, *Belgijs*, vbi Diſſidentium *Cogitationum* & *Opinionum* ſunt *Pugnæ*, in Quibus H*omines* Diuerſos R*itus* & *Inſtituta Profitentes* Permiſti Confusè ſimul *viuunt*,

Disparitas Hac Cultus Non Officit, Comuni *Hominum Societati*, Mutuòque inter se *Conuictui*, *Multò* minùs *Nuptijs Contrahendis*:

Quinimò *Conditione Temporum* Spectata; *Perhumanè* illis *fauor Indultus*, idque Sancitis Edictis, Vt suopte *More*, *Marte*, & *Instituto Quilibet* viuat, Ob *Publicum Bonum*, *Pacemque Ciuilem Tuendam* & Conseruandam:

Nam Ea Est *Fidei Virtutis Indoles*: vt *Suaderi* Possit: *Imperari* Numquàm *Possit*:

Non enim in *Animorum Commotione* aut *Execerbatione Dominus*, *Non* in *Igne Seditionum Dominus*, *Non in Dissidiorum Turbine* aut *Contentionum Strepitu*:

3.Reg.c.19. Sed in Leni Sibilo Suauibusque Pacis Zephyris Spiritus Domini.

Et sanè E *Re Cuiuslibet Regni*, & *Reipublicæ*, *Plurimũ* foret, Si *Homines Varijs* de *Religione Opinionibus Imbuti*, *Hi Veris ac sinceris*, *Isti*, *fucatis* ac *Phaleratis*, Malignantis omnis *Odij Fermento* Ablegato, *Pacificè*, *Tranquillè*, *Amicabiliter*, *Vrbanè*, *Liberè*, & Suaui Sodalitio simul Conuersantes, Mutuam inter Se *Consuetudinem* & *Conuictum* fouerent, vt sic (*Dante* & Offerente se *Occasione*,) Iunctis Animis & Armis, Pro *Principe* & *Patria* perstrenuè Dimicare & Decertare Possent; Nam Nihil Aliud Existimandum Est *Cuspis* illa Qua Æolus Montem impulit ac dis-iecit, Quam

Mucro Discordiæ:

Et *Omnium Animis Impressum* Maneat *Celeberrimi* illius *Medici Effatum*: Qui *Humani Corporis* Admirandam Fabricam Dissimilibus *Partibus* & *Organulis* Conflatam Contemplans, *Omnia* tamen *vnum* Quid esse Pronunciauit, Quòd *Vna* Contegerentur *Pelle*:

Sic *Animis* sæpè *Recolendum* & *Recogitandum*,

Licet in *Fidei* D*uellis* Varij Sint H*ominum*, S*ensus*, *Assensus*, & *Indicia*:

Omnes Tamen *Icto* Quasi *Fædere* in *Coagulum Sempiternæ Amicitiæ* Coire, & *Vnum* Quid D*ici* & *Esse* D*ebere*, Quòd Ab vno Conditi sint *Opifice*, Vno *Lauacro Lustrico* Sanctificati, Vno *Christo* R*edempti*, Vni *Cælo* D*estinati*, *Vno Trinoque* D*eo*, *Summo Bono Beandi*:

CVM IGITVR *TRES Maximos Totius Reipublicę Christianæ* M*onarchas* In *Augustarum Harum* N*uptiarum Vno Trinoque* N*odo* & *Nexu* Astringi & Deuinciri *Fata* Fæliciter *Concesserint* (*Luculentum* D*iuinitatis Opus* & *Altissimum* D*ei Consilium*) *Facinus* Itèm Aliquod, *Insigne*, *Memorabile*, *Excelsum*, Ad illustrandam D*ei Gloriam* Ab illis D*esignãdum*, P*iè* & *Sperandum* & *Expectandum* est:

EcQuod Aliud? Quàm vt I*nclytam Illam* F*idẽ* cuius *Augustos* Titulos in Sceptris Gestant, propagent, Amplificent, Defendant? V*t Enim Omnia Sacri Bel-*

li Initia a D*iuini Cultus Studio Promanarunt*: Ita ad Eundem *Cultum Proferendum* & *Propagandum* Suscipi & Iniri *Par* Est:

Qui Enim *Iosuam, Samsonem, Gedeonem*, D*auidem*, Contra *Philistæos, Amalechitas, Amorrhæos, Reliquosque Infideles Armauit*, Idem Pr *potens Mundi Arbiter Deus*, in Cuius M*anibus, Bellū, Pax, Victoria, Vobis Ab Alto* D*etonat*, Vt in Suos *Vestr*o*sque Hostes Arma* Conuertatis:

Quid Ni Igitur *Coniunctis* Armis & *Animis*, Adornatis *Classibus*, Instructis *Copijs*, Conscriptis *Exercitibus*, in *Christiani Sanguinis* Helluonem, *Gladios* Stringant, & *Ottomanici Nominis* Fastum, Conculcent, Conterant, Debellent?

Neque *Quisquam* Illos Aliter *Animatos* Esse facilè *Credat*, Si *Gloriosa* Insigna Sua & D*iadimata* inspexerit, *Quinimò* illinc *Præclaros Impetus* Ingigni, & Ardentes *Stimulos* & *Faces Pectoribus* Eorum *Submoueri*, Ad *Maiorum* imitandā *Virtutem*, *Fortiaq;* Æmulanda Facinora.

Celeberrimæ Nāque Illorum *Victoriæ, Splendidissimi Triumphi*, & *Nobilissima* De *Christi Hostibus Reportata Trophæa*, Ad *Regia* Calcanda *Vestigia*, *Regia* Repræsentanda *Facta*, *Regios* Mirificè *Acuent* Et *Accendent Animos*:

Gentiles Antiquitùs Ob *Maiorum Suorum Violata Sepulcra*

pulcra, Acerrima gesserunt *Bella*, Et Pro *Gloriosissimo Christi Domini Sepulcro*, *Pretiosissimo* Humanæ Salutis Pignore & *Thesauro*, Ab Infidelium Manibus Vindicando? Aut *Sumptibus*, Aut *Sudoribus*, Aut *Sanguini*, Aut *Vitæ Vobis Parcendum*?

Meminerint Terram illam *Sanctam*, *Florentem LACTE* & MELLE Manantem, Quæ *Christum* Excepit *Vagientem* in *Cunis*, Disputantē in *Sinagogis*, Concionantem in *Templis*, Instruentem in *Turbis*, *Miracula* Innumera Patrantem, & *Redēptionis Opus* Peragentem, *Benedictionem* Esse *Abraham*, *Possessionem Iacob*, *Christi Patrimonium*, *Ecclesiæ* Hereditatem, *Pietatis Sacrarium*, & *Sacra* Fidei *Depositum*: Depositum *Maximi Reges* Vestrę *Fidei* & *Regiæ Tutelæ* Commissum & *Concreditum*, E *Regijs Manibus* Vestris Repetendum Aliquando & *Reposcendum*.

Maiores Vestri (*Adorandæ Memoriæ* Reges) *Ramirij*, *Sanctij*, *Alphonsi*, *Clodouei*, *Ludouici*, *Caroli Magni*, *Baldvini*, *Edouardi*, *Henrici*, *Ricardi*, Non *Minori* Sibi *Gloriæ* Duxerunt, *Victricia Crucis Signa*, *Sacraque Trophæa* in *Balsamiferæ Ægipti Confinibus* Erigere.

Quàm *Domitor* Olim *Orbis Alexander*, in *Vltimis Indiarum Finibus Aras Votiuas Ponere*; aut *Inuictus Hercules*, Pro Longæ *Nauigationis Meta*, *Geminas Columnas*, Imò Nullum *Fortunarum*, *Capitis*, *Vitæ*, *Dis-*

crimen recusarunt, sed *Sancto Zelo Perciti*, Innumeras susceperunt *Expeditiones*, Adierunt *Pericula*, *Gloriosos* & *Heroicos* exantlarunt *Labores*:

Vos Illis Neutiquàm *Inferiores*: Non *Gradu* aut *Dignitate*, Non *Titulis* Aut *Sanguine*, Non *Munere* & *Officio*, Non *Majestate* Aut *Amplitudine*, Non Potentia aut Imperio, Non *Terris* aut *Latifundijs*, Non *Armis* aut *Viribus*, Imò *Antiores* multò, *Opibus* & *Prouentibus*, *Augustiores* Regnis & *Imperijs*, *Potentiores* Populis, Instructiores *Copijs*.

Vt Quod illis Molestum & Graue, Vobis Gratum & Leue, Quod illis Sumptibus *Onerosum*, Vobis *Æquum* & *Moderatum*. Quod Illis *Imperuium*, aut *Difficile*, Vobis *Facile* Faustum *Fœlix*, *Futurum*, sit:

Vos *Regnorum* & *Imperiorum* *Protectores*, *Christiani Nominis* *Defensores*, *Patres Patriæ*, *Appellamini*, & Meritò: *Reges* Enim Estis, Aliquid Supra *Homines Estis*, *Dij In Terris* Estis, *Dei* ergo *Causam* impensiùs agere, Quàm *Vestram*, *Prælia Domini Præliari*, plus Quàm *Vestra*, Par Est.

Nolite Bellis Intestinis Mutuis Vos impetere, in *Vosmetipsos Enses* Stringere, *Nolite* in *Viscera* vestra, in *Confratres*, in *Homines Christi Sacris Initiatos*, *Arma* Sumere:

> Heu *Quantum* Potuit *Terra Pelagique Parari*
> hoc quē *fuderunt Ciuiles Sanguine Dextræ*.

Hostes Vobis Veros *Certosque Innuam; Qui Nostri* efferi sunt V*ulneribus*, Qui N*ostro Sanguine Ebrij*, No*stris* Elati *Spolijs*, Qui in *Præcordia* & *Penetralia* V*estra* sæuire *Gestiunt*, In *Hos Victricia Arma Conuertite*, In *Hos, Omnem Belli Impetum* effundite, in *Horum Exitium* Et *Internecionem* P*roperate*: Frangite illorum *Audaciam*, Comprimite F*astum*, *Potentiam* Atterite, *Vires* Retundite, Debellate *Acies*, illorum F*urorem*, Vestra F*ortitudine*, Temeritatem C*onsilio*, *Scelus*, *Virtute*, V*imque Vi*, Fæliciter S*uperate*.

P*rincipatuum Tituli* Vt Prodidit *Augustinus* In *Diuino* Cen*sentur Munere*.

Et *Gloriosi* Hi *Tituli*, *Alta* H*æc Insignia Honoris*, *Majestas Hæc* Nominis, & *Amplitudo*, in *Augustis* Per*sonis Vestris* Confluentia, Non sunt *Ostentationis Tituli*, sed M*uneris*, Non P*otentiæ* I*llecebræ*, sed *Officij Sacra Symbola*; *Tãtum Hoc* in H*umanis Imperium*, Non, ad *Leuia* & *Ludicra*, sed ad *facinora*, *Alta*, H*eroica*, *Diuina* Perpetranda, *Collatum* est.

Pro *Hierosolomis*, *Ciuitatum* S*anctissima*, Pro *Regia Constantinopoli*, V*rbium* R*egina*, *Mundi* D*omina*, *Imperij* Olim *Apice*, *Orientis Gloria*; *Pro Palæstina Christi* I*ncunabulis*, P*rophetarum* & A*postolorum Cælo Solo*, *Sede*, Martirũ R*elligiosissima Sepultura Sacræ* F*idei Monumento Clarissimo*, A*ntegenitores* Vestri R*eges*, Quas Non Deuorarunt Difficultates Adierunt Pericula,

Commiserunt Prælia? *Vos Augusti Serui* (*Christi Regis Vestri*) *Regia* rursus illic Erigite *vexilla*, Exaltate *Trophæa*:

Triumphalis Hæc *Palma* a Deo vobis *Destinata*, Amplissima hæc *Gloria* vobis a *Maioribus Relicta* & *Reseruata*, vt *Augusti* ab Illis orti, Augustè per Illorum *vestigia* Gradiamini.

Ea igitur Accumulate *Victorias* Victorijs, Triumphos Triumphis *Nectite*, & Quam a *Maximis Regibus*, *Atauis*, *Proauisque*, *Hereditariam* accepistis *Gloriam*, *Perillustribus* vestris *Virtutibus*, *Diuinisque* in *Rempublicam Christianam Meritis*, *Cumulatiorem* Reddite.

Gloriosa Illorum Gesta, Æquis passibus Adæquate, Cæpta Heroica Attollite, & Quæ Prosperè illi Auspicati sunt, vos Fæliciùs Perficite: vt Hæreditate illa sancta, In Ius vestrum Postliminio Recepta, *perpetuum* illius imposterùm *Obtineatis Imperium*.

Inuidete Posteris, *Clarissimam* Hanc & *Vberrimam Gloriam*, *Beatam* illam *Terram* ab Infidelium *Iniquissimo* Dominatu Vindicandi: Nunquàm diuinitùs Talis Nata & Data occasio, Nunquàm Tàm Beatum Partum Otium, Nunquàm Tàm *Alta* & *Alma Pax*, Nunquàm Tàm *Numerosi* Populi, Tàm instructi Exercitus, Nũquàm Animi Bellantium Tàm, erecti, Nunquàm tàm *Gloriosa Præda*, Nunquàm Homines Tàm *Animosi*, Nusquàm tàm Fauentia *Numina*:

Pro

Pro Tàm *Augusto Beneficio*, Tàm *Pio Obsequio*, Tàm Illustri *Facinore*, *Amplissima* Vobis in *Cælis Merces Reposita*, *Sempiterna* in *Terris Consignata fama*. Quot Vobis in Sacro Hoc *Bello Cruces* & *Curæ*, Tot *Jmarcessibiles Adornatæ*, *Palmæ*, Laureæ, *Coronæ*.

O Martis Decora . ô Militiæ Flores, Inclyti Duces, Strenui, Milites, Animæ Fortes, & Generosæ, Quæ Sub *Inuictis* Regum Signis, & *Vexillis* Militatis, Eorumque *Obsequijs* & *Imperio*, *Fortunas*, *Vitam*, *Sanguinem*, *Consecrastis*, Ad tàm Illustres *Triumphos*, Ad tam Victrices *Palmas* Certatim vos *Voco* & *Inuito*. Vbi Gloriosius Effundi Sanguis? Vbi Fælicius vita victima Destinanda? Vbi *Vberior* & *Luculentior Gloria Comparari* Potest?

BEATI, Si *Decoram* & *Gloriosam Mortem Obituri*, *Sanguinem* Pro Illo Oppignoretis, Qui Prodigè Prior, Suum pro Vobis Profudit, BEATI, Si *Vitam Fato Debitam*, Deo Vitæ, Et *Naturæ Authori*, *Deuoueatis*.

In *Bello* Tàm *Inclyto*, In Tàm *Sacro Certamine*, En vobis Omnia Ad Laudem *Magnifica*, Splendida ad Honorem, Ad Nominis Immortalitatem Illustria.

O SACRI REGES: ô *Magna Mundi Numina*, Pro *Diuina* Qua Polletis *Sapientia*, Pro *Inuicta* qua Excellitis *Animi Magnitudine*, & *Incredibili* Qua valetis *Potentia*, in *Facinus* Hòc *Gloriosum Jncumbite*,

O

Urgete, Premite, Promouete, & in *Opus Fæliciter* Educite: *Cælum, Terra, Angeli, Homines, Proni Supplices* Enixis Votis Vos obteſtantur, obſecrant, Per *Terram* Illam *Sanctam*, Quam *Chriſtus Beatis Pedibus* Calcauit, Per *Sacras Lacrimas*, Quibus *Lauit*, Per *Pretioſum Sanguinem* Quo *Irrigauit*, Per *Fidem* Quam *Prædicauit* & Docuit, Per Miracula Quæ *Patrauit*, Per *Sanguineas Guttas* Quas *Sudauit*, Per *Labores*, Quos Suſtulit, Per *Vitam* Quam *Immolauit*, Per *Mortẽ* Quam *Obijt*, Per *Gloriam* Quam vobis *Acquiſiuit*, & Qua VOS Beabit.

Teſtes, Inspectores, Adiutores, Habetis, D*eum*, An*gelos, Homines*, Agmen Ducent Angeli, Præliabundi Inſiſtẽt *Homines*, Succeſſum Spõdet Deus: Annuet Deus CÆPTIS, Angeli Aſiſtent, Seruient Homines, & Omnium Subſeruient & Subſequentur Vota, Vt Vobis Hoc, Fauſtum, Fælix, & Fortunatum EVENIAT.



MAGNA DEVM SOBOLES,
SACRA REGVM PROGENIES.
AD Maiestatis Vestræ PEDES Prouolutus, venerabundo OBSEQVIO, Deuotissimo AFFECTV, & Obseruantissimo CVLTV; SVPPLEX me SISTO.

DATE VENIAM, PRINCIPES AVGVSTI, Date Veniam, PAR, NOBILE, ALTVM, AVGVSTVM, PAR Annis Et Animis, PAR Stemmate & Sanguine, Regijs PAR Fortunis, PAR Regibus Augustis Parentibus, SVCCRESCITE, EFFLORESCITE, ASSVRGITE, & Aureos AMORIS & HONORIS Fructus & Flores Emittite, & LAETA Propagine, PRINCIPES, REGES, IMPERATORES, Partus Augustos, AMBORVM AMORES & DELICIAS Fæliciter Germinate.

Sint NATI NATORVM & Qui NASCANTVR AB IPSIS:

En CÆLVM, TERRA, Numina, Homines, SVPERA, INFERA, Omnia, Augustarum NVPTIARVM Vestrarum MAIESTATI,

Et FÆLICITATI Arrident; VESTRA Claritudine & Magnitudine, VESTRA Gloria Et Potẽtia, INGRANDESCIT ORBIS, Stat, Viget, Floret, Vestræ SALVTI, Publica SALVS, Vestræ FÆLICITATI Omnium FÆLICITAS innitur.

NVPTIÆ NVMINVM, Sacrum Donum, Optabile HVMANI GENERIS Bonum, Naturæ Institutum, Gratiæ SACRAMENTVM, Vitæ Fulcrum, Amoris Solatium, Societatis Vinculum, ÆTERNITATIS SYMBOLVM, IMMORTALITATIS, Semen, Ab illis, Et in illis, PAX, SALVS, PROSPERITAS, Omnia MORTALIBVS Bona Proueniunt.

Seminent NIVEAS GEMMAS Per Villas PRINCIPES, AVRVM Et ARGENTVM, Per iacentes Latè Campos Spargant; AVREAS, Hasce BEATAS MESSES, Non nisi MÆRENTES Demetterent, sine SPE Liberorum.

NVLLÆ etenim Tàm AVGVSTÆ OPES MAGNIS IMPERIIS AC RÆGIÆ PROLES: Regnorum Firmissimæ Columnæ, Spes Tutissimæ, Gloria suprema:

Vestris PRINCIPES Lætis NATALITIIS, Tanquam Preciosissimis GAZIS & THESAVRIS Nobilitatus Est Mundus, Vestro Splendore

MICAT,

MICAT, Redianti MAIESTATIS Vestræ FVLGORE Triumphat.

GLORIOSI PRINCIPES Sacri CÆLI Gemini, Orientes Mundi SOLES, Terræ Lumina, Vt Non Æque Placido Et AVSPICATO Aspectu Sol omnes Aspicit Planetas, Sic Nec ijdem Vos LVMINIBVS Superi, Quibus Reliquos MORTALES.

SPLENDENT In Vobis DIVÆ VIRTVTES
Tanquàm in Lucidissimo suo MERIDIE
Resident, GRATIÆ Tanquàm in Altissimo
HONORS IHORIZONTE,

TV CAROLE INVICTE, Principum Princeps, TV AVGVSTA MARIA Inter Reginas Quæpiam Quasi DEA, Et Inter DEAS Regina, VTERQVE Superũ AMORES Et DELICIÆ, Imperiorũ Columina, Populorũ Prçsidia, Regũ Germina, EVROPÆ Lumina, AVREA Orbis ASTRA.

CAROLE TER INCLITE Principum FÆLICISSIME
Vti IOVI in CÆLIS Sapientissima DEÆ METIS, Sic
Tibi in TERRIS, DIVARVM MAXIMA Et AVGVSTA.
Gratiosissima Designatur SOCIA.

Sic *Syderum Legibus*, Et *Benigno Numinum* Fato, Et

Naturæ Instinctu, *Regiæ* Semper Aquilæ Petunt Aquilas, Sceptra CÆSARES.

Cedri Libanum, Soles, Cælos, Lilia Rosas, Gemma Aurum, Et Deorum Alto Decreto, Et Occulto NATVRÆ GENIO. Gens Augusta Regum Diuumque Ferax, REGIO suo Gaudet Et Triumphat COMPARE.

Tibi INVICTISSIME PRINCEPS, Mens, Alta, Augusta, Aetherea, Purissimi instar Ignis, Infima Dedignantis; & in Sublimi Superum SPHÆRA Stationem Collocantis:

TIBI PRINCEPS SERENISSIMA, Spiritus, Purus, Sacer, Beatus, E Diuinioris CÆLI Aura Delibatus, Diuinum Solem Tuum, Cælestis Instar Aquilæ Inconniuenti Acie obtutum Defigentis, Et in Terris Nil Minùs Quàm Terram SPIRANTIS:

TV CAROLE PRINCEPS SPONSE, Vernantem CÆLI ROSAM, Perpetuum Prosperitatum Ver Mundo Refundis;

TV PRINCEPS SPONSA MARIA, *Regijs* Edita *Aquilis*, Potentiæ Augusta Symbola, Fælicissimum Et Beatissimum in Homines IMPERIVM, Et Principatum Augurantia, Prosperè Præ Te Fers;

VOS AVGVSTI Animati Soles, Ad Quos CÆTERI HOMINVM HELITROPII veluti Flores, ora, oculos, Animosque Conuertunt omnes.

ASTRA DIVINA in Glorioso Hoc Mundi Firmamento Splendissimè Corruscantia ; Lucetis *Virtutibus*, *Maiestatis* Radijs *Micatis*, Mulcetis Aspectibus, Lumine reficitis, *Aura* viuifica *Fouetis*, Numine Beatis.

SACRÆ PERSONÆ Vestræ, Altissimum *Honoris Theatrum*, in Quo MAIESTAS *Augustam* omnem suam *Gloriam* Et *Magnificentiam* Expandit Et Explicat:

VITÆ VESTRÆ, *Lucidissima Specula*, omnes in sui *Cultum*, Et *Admirationem*, Excitantia.

AVLÆ Vestræ SACRVM *Templum*, in Quo VIRTVTI Religiosè litatur:

EN MVSÆ, Victrices Dicant PALMAS DIVINÆ VESTRÆ VIRTVTI, Triumphales LAVROS SACRÆ FIDEI, *Cyprias Myrtos*, casto AMORI, VIRIDANTES OLIVAS, Suaui Benignitati, IMO VICTRICES PALMÆ, Festam suam Pompam, Florentes LAVRI virentem Amænitatem & AMANTES MYRTI Speciosam Venustatem, Et Feraces Oliuæ Comptam Et Comatam Gloriam, Et IMMARCESSIBILES AMARANTI Perpetem suum virorem, Et omne Florum Genus, Suaues suas Delicias, Veneres, & Gratias, Ad Nectendas Coronas, Ad SACRA CAPITA Vestra HONORIS TEMPLA Incingenda

Asseruant:

VOBIS SVPERVM NVTV. Delata Sceptra, Regnorum Commissa Gubernacula, *Sacra Legum* concredita *Custodia*, Populi Commendata Protectio:

TANTAM HANC FORTVNÆ EMINENTIAM, Tantum Hoc Dignitatis Fastigium, ET MAIESTATIS *Imperium*, Debetis VOS DEO, VOBIS Mundus; *Augustam* Hanc *Fœlicitatem*, Et lætam *Quæ* omnes in Terris Beat, & Fæcundat PACIS PROSPERITATEM.

Referunt Scriptores in *Insulis* HISPANIOLIS, Deitates Duas, PATRIA DVO NVMINA, Deuotissimo INDOS Adorare CVLTV, ET OBSEQVIO, Ad Quos *Preciosiora* & *Potiora* sua DONA ET BONA Singulo *Quoque die* D*eferunt*:

VANIS ILLIS COMMENTITIIS Abdicatis Dijs: VOS SANCTA ET FÆLICIA BINA in Terris Regnatis NVMINA; Quibus optimi Quique MORTALIVM, *Corda*, *vota*, Affectus, Ditissimos Veluti Et Diuinissimos Animorum THESAVROS *Offerunt*:

PRO MAIESTATIS vestræ FASCIBVS Et SYMBOLO, PRO GLORIÆ HIEROGLIFICO, Aut *Potentiæ Insignibus*,

Non

Non opus VOBIS TITVLIS, Aut TRIVMPHIS, Non excisis E MARMORE STATVIS, Tot Enim VOBIS AVGVSTÆ POSITÆ STATVÆ, Quot vllibi HOMINVM Spirant PECTORA, Totque DIVINIS Vestris VIRTVTIBVS Dicata TEMPLA, ET ALTARIA, Quot Vspiàm sacri Vigent Affectus, ET CORDA DEVOTA.

DEVS, MAXIMI PRINCIPES, *Diuo* Hoc VOS IVNXIT CONNVBIO, Et in VOBIS, Totius EVROPÆ, REGES, PRINCIPES Et IMPERATORES, Et in *illis, Omnium Populorum* suorum, VOTA, STVDIA, Et AFFECTVS Fælicissimè Coniunxit:

VOS A DEO DATI, ET NATI, AD HOMINVM GENVS SVBLIMANDVM, AD CHRITI IMPERIVM Dilatandum, Ad REGES Et PRINCIPES longa SERIE Propagandos, Ad MVNDVM Cumulata Fælicitate, Perbeandum.

EIA, AGITE, PRINCIPES OPTIMI, Nectite, *Animos Animis*, Dextris DATE DEXTRAS, PECTORA PECTORIBVS, Coite Affectibus, Coalescite Moribus, GENIIS Et INGENIIS, Conspirate, Et *Alti Augustique* NOMINIS Vestri *Jmmortali* GLORIA, Populi Perpetua

Q

Fælicitate, Et Effusa Bonorum Omnium GAVDIO, Et LÆTITIA, CÆLVM, *Terram, Ecclesiam, Rempublicam*, PLEBEM, SENATVM, Regna, *Jmperia*, EVROPÆ, Et Vltimos ORBIS Fines, LÆTIS Et Fælicibus Vestris HYMENEIS Beate.

Fælices Ter Et *Amplius*
Quos irrupta Tenet Copula.
Nec Malis Diuulsus Quærimonijs
Suprema Citius Soluet AMOR DIE.

SIC, VOS MAGNA NVMINA, in Omnem Æternitatem SOSPITENT, Vobis semper ASPIRENT, in OMNIBVS, Faueant, Foueant, Fortunent, Et AVREA, REGIA, AVGVSTA, NVMEROSA PROLE, Perbeent.
SIC ANNOS VIVITE FÆLICES VESTROS, VIVITE Et NOSTROS;

HOC MAXIMORVM REGVM, Et
IMPERATORVM;
HOC PROCERVM, Et PRINCIPVM:
ECCLESIÆ, REIPVBLICÆ:
CLERI,
POPVLI,

HOC
OMNIVM BONORVM;
HOC
PRINCIPES, ALTI, AVGVSTI,
ADORANDI:
MEVM
ANTE Omnia,
SVPPLEX
VOTVM.

FINIS.

Errata ſic corrige.

pagina prima pro regionis lege Legionis pagina ſecunda pro quarũ fauentia. lege quàm fauentia. pag. 21.ad illa verba longitudine latitudine adæquet vide.Moralem ſcriptorem grauem qui in deſcriptione Hiſpaniæ Eam Gallia quinquaginta plus leucis ampliorem aſſerit·pag. 33·pro Præſidia & ornamẽta.l.Præſidia & Munimina pag.31.proGæmmulam · pag.50.pro iſto hoc quem hauſerunt.leg.hoc quem fuderunt. pag. 57· pro Deæ lege Dea.pag. 58.pro diuinum ſolem. lege in Diuinã ſolem.

44